Bibliotheca latina
Medii Aeui

Fasciculus I

De operibus historicis Iohannis Aegidii Zamorensis

qui

tempore Aldephonsi decimi Regis Castellae scribebat

quamuis plerisque deperditis
nunc post amplius sex saecula ordinatius disserere conatur

Georgius Cirot
professor praefectus studiis hispanicis
in Uniuersitate Burdigalensi
socius extraneus Regiae Academiae Historicae Matritensis

Apud Feret, uia de Grassi, 9, Burdigalae

MDCCCCXIII

De operibus historicis
Johannis Aegidii Zamorensis

EIUSDEM AUCTORIS OPERA:

LES HISTOIRES GÉNÉRALES D'ESPAGNE

ENTRE ALPHONSE X ET PHILIPPE II

(1284-1556)

1 vol. in-8°, XI-180 pages (1905).

MARIANA HISTORIEN

1 vol. in-8°, XIV-481 pages (1905).

RECHERCHES SUR LES JUIFS ESPAGNOLS

ET PORTUGAIS A BORDEAUX

1re partie (1908).

Burdigalae, apud Feret veneunt.

Bibliotheca latina
Medii Aeui

Fasciculus 1

De operibus historicis Iohannis Aegidii Zamorensis

qui

tempore Aldephonsi decimi Regis Castellae scribebat

quamuis plerisque deperditis
nunc post amplius sex saecula ordinatius disserere conatur

Georgius Cirot
professor praefectus studiis hispanicis
in Uniuersitate Burdigalensi
socius extraneus Regiae Academiae Historicae Matritensis

Apud Feret, uia de Grassi, 9, Burdigalae

MDCCCCXIII

Praefatio.

Cum de historicis hispanis, qui duodecimo et tertio decimo saeculo latine scripserunt, inquirerem, et de Iohanne Aegidii Zamorensi aliquid iam collegissem, circa annum MCM magister meus Alfredus Morel-Fatio ultro mihi notas, quas ipse de hoc parum cognito scriptore excerpserat, obtulit: Quas non puduit, fateor, accipere, cum eis ut tanquam meis uterer amicissime suaderet, in exquisitione quam susceperam, et eandem ipse si non desperatam, certe ut ingratam, uiginti annos abhinc dereliquisset infectam. Tantum autem materiam contulerat; nam et fragmenta ex catalogis Lucae Wadding, Nicolai Antonio, Iohannis de San Antonio, etc., uel libris Ambrosii de Morales et Henrici Flórez, et epistulas amicorum suorum hispanorum de exemplaribus hispanis, et notas de eo quod in escorialensibus matritensibusque codicibus continetur, et apographa plura propria manu diligenter descripta comparauerat. Quae omnia rudia quidem, iam tamen amplissima, neque in ordinem redegerat, nec quidquam disceptare inchoauerat.

Irritus permansurus erat tantus labor nisi quis lampade accepta multiplex illud opus exploraret. Quod nimia fiducia, minima scientia, at patientia, credo, non mediocri, tentaui, ne in serie historicorum antiquorum hispanorum unus omitteretur, non omnino despiciendus.

Cum illa, antequam inciperem, dicenda, tum etiam deinceps quis subministrauerit ea quae suis tabulis Alfredus Morel-Fatio consignauit, ut cuique suum tribueretur, designandum mihi uisum est, praeceptum recordato

Ne gloriari libeat alienis bonis.

Burdigalae, Pridie Kal. Martias MDCCCCXIII.

REGIAE ACADEMIAE

HISTORICAE MATRITENSI

HOC OPVS

EXTRANEVS SOCIVS

LAVDIBVS HISPANIAE ANTIQVAE ADDICTVS

DEDICAT

Capitulum I

Quid de Johanne Aegidii Zamorensi hactenus innotuerit.

Iohannis Aegidii Zamorensis historici libri ut operae pretium est scire quot qualesque exstiterint, si quis quam amplum in Hispania tertio decimo saeculo fuerit genus historicum perscrutari studet, ita quasi allici sibi uidebitur ipsa illorum cognoscendorum difficultate : quippe quibus non minus restituendis quam perlegendis uacare oporteat eum, qui quid proprium et nouum, quid alienum et ab antiquis aequalibusue sumptum in sua uolumina digesserit ille, exacte dilucidare tentet.

Restituenda enim esse uere dici possunt, non solum quod partes multae desunt, sed etiam quod uelut disiecta membra sub uariis titulis in multis manuscriptis nimis incondite reperiuntur.

Adde quod, excepto libro cui De praeconiis Hispaniae titulus est, huius πολυγράφου notionem habuisse paucos adhuc, et eam imperfectam, immo confusam asserere licet.

Ceterum illum quarto decimo saeculo nemo, quinto decimo pauci, inter quos Alphonsus Tostado Auilensis episcopus (mortuus anno MCDLV), Johannes de Torquemada (mortuus anno MCDLXVIII) et Alphonsus de Espina (Thermopilensis episcopus factus anno MCDXCI) laudauisse inueniuntur.

Alphonsus quidem Tostado, eruditione quondam clarus, in Commentariis in Iosue et super Librum III^{um} Regum[1], tomo VII et XI editionis Venetianae (MDCXV) eum ad tantam peruenisse senectutem scribit, sicut refert Wadding, « ut quamuis pleraque uolumina tam Historiarum quam sapientalium scripserit, nec litteras cognosceret, nec sciret se esse qui libros illos ediderit ». Cuius Alphonsi alius locus inferius (p. 12) de eodem Iohanne referetur.

Iohannis autem de Torquemada cardinalis[2] in libro de Conceptione deiparae Virginis laudantis Summam quam scripserit noster haec uerba Nicolaus Antonio transcribit : « Item ad idem est eiusdem ordinis Pater Frater Aegidius

1. De quo uide Nicolai Antonio Bibliothecam hispanam ueterem, libr. X, n° 369-370, et IX, n° 27 ; et Lucae Wadding Scriptores ordinis Minorum, p. 188.
2. De quo uide Nic. Antonio, lib. X, n° 515.

Zamorensis hispanus qui iuxta ordinem alphabeti mira scripsit, tam de Chronicis, quam de doctrinalibus, quam etiam de moralibus. Cuius uerba in forma (licet propter distantiam a Basilea ubi haec scribuntur ad insignem ciuitatem Zamorensem in regno Castellae, ubi eius libri habentur, non sit mihi ad manum) sententia tamen eius certa est in Summa sua in cap. de Maria etc »

Alphonsus demum de Espina, ut animaduertit Vaseo (uide p. 10), nostri Iohannis Archiuum iterum iterumque in Fortalitio fidei[1], exempli gratia, libro III° de bello Iudeorum (Prima crudelitas iudeorum), fol. CLXXXV, uerso, editionis quae prodiit Lugduni anno MDXI, ubi tamen non « in suo archiuo », sed « in suo archano » citat eum : quod e corruptione litterarum pendere patet, ut alias « furo nizgo » pro « fuero iuzgo » (fol. CCXXXV); pessima enim editio est. Eodem libro III° (quarta expulsione iudeorum), fol. CCXIX, de Sisebuto et ultimis Gothorum regibus, de Iudaeis ac Mahomete alia ex archiuo (archino in editione) eiusdem Zamorensis excerpta inueniuntur.

Quin immo Ennecus López de Mendoza, « marqués de Santillana », qui anno MCDLVIII defunctus est, habebat librum de praeconiis Hispaniae in castellanum translatum suo tempore cum titulo « Alabanças de España », qui in bibliotheca ducum de Osuna dictorum usque ad annum MDCCCLXXXIV, nunc uero in Bibliotheca nationali matritensi (Ii 140) conseruatur; de quo consule eruditum Marium Schiff, in « La Bibliothèque du marquis de Santillane » (Paris, Bouillon, 1905), p. 421. Vbi etiam aliquot uersus uulgari sermone compositos ultima charta habet, quibus Iohannis ipsius locum quendam interpretatus est ipse marchio, ut demonstrat idem Schiff (uide p. 23).

Neque oblitus est eius Ferdinandus Pérez de Guzmán (qui non mortuus est ipse ante eundem annum MCDLVIII) dum scripta laudat Roderici Toletani archiepiscopi :

Saluo los santo, non touo
Toledo mejor perlado
Nin España jamas ouo
Coronista mas loado.
Su estilo han remedado
Don Lucas e Fray Juan Gil
Non tan dolce nin sotil
Aunque asaz han bien fablado[2].

Nec mirum : etenim eidem scriptori qui appellabatur « señor de Batres » fuisse constat quoddam apographon (hispano sermone transcriptum, ut uidetur) libri de praeconiis Hispaniae, in illo « libro uiejo de Batres » e quo aliqua excerpta in codicem quendam hispalensem a Bartholomaeo Gallardo (in « Ensayo », n° 2332) descriptum. De praeconiis Hispaniae opus latinum etiam continentem, translata sunt : « Marcial Valerio loando á aquel filosofo Seneca

1. De quo uide N. Antonio Bibl. hisp. uet., lib. IX, n° 9, et lib. IX, n° 482. Dicit ipse auctor (fol. LXXXV uerso editionis quae supra indicatur) se scribere anno MCDLVIII, in uilla Vallisoletana.
2. « Claros Varones », str. CCLXXXIII; in editione quam curauit Ochoa, p. 314.

dice así : Alegre-se Cordoba, que es ennoblecida e honrada por haber en sí á Seneca e a Lucano : ca entre los filosofos morales non fué alguno semejante á ellos. » Quae certe in tractatu sexto latine leguntur hac forma : « Marcialis ualerius in primo libro epigrammatum dicit sic. Gaudet duplici seneca unoque lucano facunda corduba. Inter morales philosophos nullus similis fuit istis... »

Aliud quoque opus eiusdem Iohannis habuit Ferdinandus Pérez, ut e codice 2803 (olim I-333) Bibliothecae nationalis matritensis apparet (nostro Mf), in quo continetur quidam Epilogus uel Catalogus regum hispanorum qui non inuenitur in Libro de praeconiis. Sed de illo opere agemus postea, quod in codice ab Emmanuele Pantoja formato etiam exstare uidebimus, nisi unus et idem codex est, ut reor (uide p. 13).

Plus etiam notitiae habuisse illo tempore noster potest : quod euidentius fieret, si quis libros manu scriptos magis euolueret : nam in manu scripta Vegetianae Epitomae rei militaris in hispanum translatione quae in Bibliotheca nationali parisina (olim n° 211, nunc n° 101) exstat, Morel-Fatio locum inuenit quo laudatur « frey Juan Gyl de Çamora en los libros de las ystorias que fizo ». (Vide « Catalogue des manuscrits espagnols et des manuscrits portugais de la Bibliothèque nationale », p. 35.)

Quid quod Robertus Gaguin cum esset Toléti sibi eum oppositum esse uelut auctorem grauem ab aliquo Hispano testatur in Compendio suo : « Ego uero cum tolleti essem : Carolumque magnum magnis laudibus efferrem : hyspanie bonam partem ad ipsum usque tolletū subiugasset : perlatus est ad me liber qui praeconia hyspanie inscribit̃ ubi haec quae de Carolo memorabā, eius libri auctoris maximo studio & nixu refelluntur[1] ».

Eum uero contempsisse simul ac ignorauisse uidentur tunc aeque ac antiquos scriptores Hispaniæ ii qui totos se ad litteras romanas conferebant : nam clarissimus eorum, Antonius Nebrissensis (anno MDXXII° mortuus), libro V decadis primae Rerum a Ferdinando et Elisabe gestarum, cum eos qui Numantiam eandem esse contendebant ac Zamoram insectatur, « sed si perconteris, inquit, qui sunt autores illi quos isti suae peruicaciae testes citant, obiiciunt nescio quem Lucam Tydensem, & Fratrem quemdam Ægidium Zamoranum, atque alios eiusdem classis uiros obscuros, quos ego nunquam legi, neque me non legisse pudet. » (In Roberti Beli Rerum hispanicarum Scriptoribus, p. 1138, linea 13.)

Florianus autem do Campo saepius eiusdem utitur testimonio. Non tamen alia scripta eius excerpsit, nisi duo quae nemo postea uidit et de iis infra loquemur. Ceterum is qui Iulianum Lucam, diaconum toletanum, solus quoque nouit, et forsan fabricatus esse haud iniquo argutus fuit, haud immerito, quod attinet ad Zamorensem nostrum, mendacii etiam suspicionem habet.

Iohannes certe Vaseo Iohannem tantum scit de rebus scripsisse Hispa-

1. Fol. 27uo editionis anno MDI diuulgatae (fol. CXLIII, anno MDXI) ; quod citat Ludouicus Thuasne in opere quod titulauit Roberti Gaguini epistolae et orationes (Paris, 1904, Bouillon).

nouum, et eius Archiuum frequenter citari in Fortalitio fidei : « sed ego, inquit, hactenus non uidi[1] ».

Ambrosius de Morales Oueti, in itinere quod in Asturiis, antiquorum monumentorum causa inuestigandorum, mense iunio, anno MDLXXII, facere instituerat, Librum quidem de praeconiis Hispaniae se uidisse, omnia autem Zamorae in monasterio sancti Francisci Iohannis Aegidii manu propria scripta exsistere dicit. In suo enim « Viage »[2], non solum notat inter libros bibliothecae ecclesiae Ouetensis, doctoris fratris Iohannis Aegidii Zamorensis tractatum de praeconiis Hispaniae : « El libro, ait, parece tan antiquo como su autor, que fue maestro del Rey D. Sancho el IV », sed etiam addit : « en el monasterio de San Francisco tienen en la libreria todas las obras del Dr. Fr. Juan Gil de Zamora que fue maestro del rey D. Sancho el Bravo. Son muchas y las originales que el autor dejó. » Ceterum Zamoram non potuisse ire se fatetur p. 185 : « no pude ir alla (á Zamora) ». Epilogum tamen quem Ferdinandus Pérez, ut iam diximus, habuerat, et ipse cum aliis chartis eiusdem Ferdinandi habuit. Libri autem de praeconiis Hispaniae tractatui quinto (folio 46 recto in codice P, de quo uide p. 19) alludit, libro X, cap. XXVI suae « Coronica », ubi dicit : « Fray Juan Gil de Zamora cuenta por de España á esta Santa » (Euphemia) : namque Iohannes loco praedicto scribit : « Innumerabiles quidem sunt ꝛ alii sancti in sanctissima patria procreati ut sunt uincentius. sauina. christeta. felix. fructuosus. Eulalia. marina. euphemia ꝛ alii plures... »

Illa uero opera nostri historici Iohannes Mariana neque in Indice auctorum a quibus ad componendos suos de Rebus Hispaniae Libros aliquid petiit, neque usquam in libris uel aduersariis uel epistulis suis memorat, ita ut, si ea non ignorare, at despicere uideatur.

In Bibliotheca escorialensi exstat manu scriptus « Index alphabetico digestus ordine, in quo recensentur Codices manuscripti latini, qui in huius Regiae Bibliothecae armariis siue tabulariis per pluteos seu sectiones distributi asseruantur » ; quem obeunte saeculo XVI° uel ineunte XVII° redactum esse opinatur Guillermus Antolín in « Catálogo de los Códices latinos de la Real Biblioteca del Escorial » (vol. I, Madrid, 1910, p. XLIX). In illo autem Indice, sed in margine, manus posterior adscripsit : « Aegidii minoritae liber illustrium Personarū sanctarū III. H. i. » Iam non exsistit ille liber, id quod potest explicari hac nota, quae in principio eiusdem Indicis exarata est : « Varia manuscripta in sequentibus indicibus contenta igne perierunt anno Domini 1671. »

In Hieronymi Román de la Higuera nondum typis mandata « Historia eclesiastica de la Imperial Ciudad y Reyno de Toledo »[3] « epistula quaedam ex Zamora ad Rodericum Carum missa » transcripta est, si affirmanti Nicolao Antonio

1. In Roberti Beli Rerum Hispanicarum Scriptoribus, I, p. 445, l. 9, et in Hispania illustrata Andreae Schott, I, p. [illegible].

2. P. [illegible] et [illegible] primae editionis (MDCCLXV), 125 et 23[illegible] eius quam anno MDCCXCII Benedictus Cano curauit.

3. De qua uide Nicolai Antonio Bibl. hisp. nou., (t. I, p. 601), nec non « Censura de las historias fabulosas », l. XII, 5, et « Vida de D. Nicolas Antonio », quam Gregorius Mayans y Siscar ei praeposuit, § 71.

credimus, qui eam uidisse se ait (Bibl. hisp. uet., l. IX, n° 8, nota 1, p. 108). Hic autem Rodericus Caro non alius est quam is qui in illustrandis pseudochronicis Flauii Lucii Dextri, M. Maximi Caesaraugustani, Helecae et Braulionis tantam operam impendit[1]. Illam autem epistulam in exemplaribus praedicti operis quae in Bibliotheca nationali matritensi asseruantur[2] frustra quaesiuit Alfredus Morel-Fatio. Ex ea tamen Nicolaus Antonio didicisse hoc uidetur: « has (elucubrationes Iohannis) septem non minus atque his grandibus contentas membranaceis uoluminibus asseruari Zamorae in monasterii Franciscanorum bibliotheca plures referunt; quae uolumina uulgo sodales ab auctoris nomine los Egidios appellant » (B. hisp. uet., l. IX, n° 8). Quod etiam ex iis quae affirmat, ut mox uidebimus, Lucas Wadding, Nicolaus Antonio collegisse potest.

Hac in re, ut reor, Hieronymus, uelut fraudulentus homo, recusandus non est. Nam id quod ex eius epistula Nicolaus Antonio (si non ipse errauit) sumpsit, uerisimile per se constat esse: quanquam suspicari licet eum, qui Iohannis Aegidii ad Iuliani Pérez Chronicon additiones ipse composuerit[3], aliquam astutiam, cum citaret Zamorensem nostrum, machinatum esse.

Ceterum quod testatur illa epistula septem uoluminibus contineri opera Iohannis Aegidii, cum eo quod asserit Wadding satis congruere uidetur. Qui postquam librum de praeconiis siue de laudibus Hispaniae memorauit, « scripsit insuper, inquit, historiam naturalem, ecclesiasticam et civilem, universam historiae molem sex ingentibus uoluminibus complexus, quorum insignia exemplaria membranea asseruantur in bibliotheca zamorensi minorum, iam magna rei historicae iactura temporis perpessa iniurias ». (Annales minorum, Lugduni et Romae MDCXXVIII-MDCLIV.) Vnde ea sumpserit Wadding nescio, nam cum multos uiros eruditos hispanos eosdem zamorenses codices asseueret uidisse, ipse tamen propria ullum se manu euoluisse non declarat. « Multi uiri docti, ait, in Hispania, praesertim historici, illa uiderunt & citarunt; uidendus Salazarius de Mendosa in uita S. Ildephonsi Toletani. »

Ille autem Salazar de Mendoza ipse etiam suspectissimam auctoritatem habet; nam eadem pseudochronica de quibus iam actum est frequenter citat in ipso opere quod laudat Wadding de uita S. Ildephonsi Toletani, anno MDCXVIII Toleti edito ac titulato « El glorioso Doctor San Ilefonso » (de quo uide Pérez Pastor, « La Imprenta en Toledo, » Madrid, 1887, n° 498).

Octauum uero tomum sane indicat Wadding cum haec addit: « Alium edidit tomum quem praenotauit: Archiuium omnium scripturarum, ubi optima quaeque eruditionis ecclesiasticae argumenta ad praecipua capita reduxit ». Quod num uerum sit mox uidebimus.

Rodericum autem Caro, de cuius epistula supra agebatur, nouisse constat quaedam Hispaniae Chronica Iohannis Aegidii, ex quibus citat fragmentum

1. Mortui illius opus editum est Hispali anno MDCXXVII. Cf. « Vida d. D. N. A° », § 56, et Bartholomaei J. Gallardo « Ensayo de una Biblioteca española » sub uoc. Caro.

2. Vide Bartholomaei Gallardo opus cit. t. II, Ap. p. 140.

3. De quibus infra agetur, p. 73; uide Godoy Alcántara, « Historia de los falsos Cronicones » p. 218, et Nic. Ant. Bibl. hisp. uet., l. IX, 26.

de Ferdinando III) in « Adiciones al Libro de las antiguedades de Sevilla » quae continentur in tomo I° collectaneorum « Memorial histórico español » nominatorum (p. 379).

In folio praeposito codici Bibliothecae regiae, XVII° saeculo exarato, (duplice nota : M 6 et VII A 5, nobis MPe; de quo uide infra, p. 30, 41 et 48) e bibliotheca Collegii Maioris Conchensis allato, haec manu differenti ascripta sunt : « Meminit hujus auctoris Robles in libello de Cruce Carauacae lib. 1, c. 1, fol. 2 », quod librum a Iohanne de Robles Corvalan, ex oppido Carauaca oriundo, exaratum et anno MDCXIV Matriti editum designat, « Historia del mysterioso aparecimiento de la Santisima Cruz de Carauaca », de quo uide Muñoz, « Diccionario bibliográfico histórico » sub voc. Caravaca, et Nic. Antonii Bibl. hisp. nouam, t. I, p. 769-770.

Eadem autem manus sic prosequitur : « et ego in meo Juliano in epistola prosphonaetica pag. 4... » Illa nota Laurentio Ramírez de Prado (de quo uide p. 19) assignanda procul dubio est, qui apocryphum Iuliani Petri archipresbyteri S. Iustae Chronicon anno MDCXXVIII edidit, et quasdam illi Iuliano adiectas « additiones concinnasse Fratrem Aegidium Zamorensem è Diui Francisci familia alumnum, historiographum illustrem tempore & iussu Regis Ferdinandi III sancti apud omnes nuncupati » se alicubi legisse in praefatione dicit; legerat autem illud, uti nota subiecta declarat, in libello a Patre Francisco Portocarrero e societate Iesu presbytero scripto, « Libro de la Descension de Nuestra Señora á la santa Yglesia de Toledo », qui Matriti anno MDCXVI editus est, et haec uerba habet : « Tambien me he aprouechado de las adiciones q̃ hizo fray Iuã Gil de Zamora q se copio de la libreria de Don Antonio Agustin, arzobispo de Tarragona, al Cronicon de Iulian Perez... » Quis ille Portocarrero fuerit, quanta et qualia ementitus sit, in meo opere « Mariana historien » (p. 59-63 et 258; cf. p. 230) uidebit lector. Vtique in nota addit Ramírez : « Inter opera quae Zamorae extant, in coenobio S. Francisci, septem uoluminibus comprehensa, & ipsius Aegidii manuscripta in membranis non inueniuntur hae additiones[1] ».

Ceterum opus quod inscriptum est Archiuus nouerat laudari in Fortalitio Fidei Alphonsi de Espina, cuius locum unum ex ambobus quos citaui p. 8 bis allegat, in sua editione Luitprandi (Antuerpiae, MCXL, p. 589; Patr. lat., t. CXXXVI, col. 973) et in hoc codice MPe, his verbis : « Fortalitium Fidei, lib. 3 in 4 expuls' fol. 219, col. 4 », quod cum editione anno MDXI a me iam prolata perfecte congruit. Addit etiam : « ... et Abulensis meminit hujus Auctoris in lib. judicum ubi de capite quod loquebatur in oppido nuncupato Tabata[2] et est in margine ubi citatur Zamorensis Aegidius in litt. Zamora qui est in hoc uolumine », quod sane parum latine scribitur.

Haud dubio sperauerat Ramírez aliquando fore ut in zamorensibus codicibus inuenirentur id quod Portocarrero a Iuliano se sumpsisse dicebat; quare

1. Quod recordatur Thomas de León in epistula quae in « Censura de historias fabulosas » Nicolai Antonii publicata est (p. [illegible]).

2. Tabbath (Lib. Iudicum, VII, 23).

transcribi sibi iusserat, ut opinor, hunc codicem et etiam alterum de quo aliquid inferius dicam (p. 48-50).

Inter auctores qui « del libro de S. Ilephonso, de la descension de la Virgen nuestra Señora, del don de la Casulla » scripserunt, « F. I. Gil de Çamora en la hist. de la inuencion del cuerpo de S. Ileph. » numerat Thomas Tamayo de Vargas in sua « Defensa de la Descension de la uirgen N. S. a la S. Iglesia de Toledo », anno MDCXVI edita, de qua uide meum de Iohanne Mariana librum, p. 198, n. 1.

Ex eiusdem Thomae epistula, quam allegat Nicolaus Antonio (Bibl. hisp. uet., l. IX, n° 18 et 26), tantum haec, quae ad opus uniuersum Johannis pertinent, nunc referam, reliqua parte loco aptiore (uide p. 73) transcribenda, quae ad notas in Iuliani Pérez Chronicon eidem Zamorensi ab Hieronymo Román attributas spectant : «... dexo escritas muchas cosas, en particular unos indices o verbales de historia por las letras del a. b. c., que se conseruan en S. Francisco de Zamora, i una Historia breue de laudibus Hispaniae, que anda manuscripta en manos de todos... ». Illa epistula, quam Nicolaus Antonio testatur a se uisam et « ad D. Baltasarem Sandoualium Moscosum S. R. E. Cardinalem Episcopum tum temporis Giennensem » missam, ab Alfredo Morel-Fatio reperta est in codice R-18. Bibliothecae publicae matritensis, manu Thomae Tamayo exarata « Madrid i agosto 18 de 639 », et ad « el c[l] mi S[or] directa ». Adscriptum est hoc : « Se comprò con otros al Ex[mo] S[or] Conde de Miranda ».

Inter ea quae in codice ab Emmanuele Pantoja circa annum MDCXL exarato et in « Catálogo de la Biblioteca de Salvá » (n° 3059) indicato (qui ubi nunc exstet nescio) reperiebantur, erat « Epilogo de los Reyes que han reinado en España asta D. Sancho Madruga hijo del rei Don Alonso el Sabio. Sacado de la historia que escribió Fray Juan Gil de Zamora el qual escriuió y florecio año del Señor de 1280 que tenia Fernan Perez de Guzman ». (Quod autem dicit Salvá de hoc scriptore non loqui Nicolaum Antonio falsum esse satis constat). Illum Epilogum ex aliquo librorum quos in Batres habebat Garcilaso de la Vega, pronepos Fernandi Pérez de Guzmán, exscripsisse uidetur Ambrosius de Morales, si Emmanueli Pantoja e quodam ab Ambrosio formato codice illud suum apographon pendere confitenti credimus. Ceterum eundem epilogum in codice matritensi 2803 (olim I-333) reperiri iam dictum est (p. 9) et de eo amplius dicetur (p. 62).

In manu scripto codice Academiae Historicae Matritensis Z-72, quem Bartholomaeus Gallardo describit in suo « Ensayo de una Biblioteca española » (t. IV, col. 1479) sic designatum « Biblioteca selecta del Conde Duque de Sanlucar, gran Canciller », inuenitur « Index librorum et manuscriptorum », inter quos secundo loco inscriptus est « Aegidii Zamorensis Liber proprietatum : in membranis in fol., antiqua nota (L, 1) ». Illud autem signum L, 1, reperitur in codice escorialensi mutilo de quo mox agetur (p. 54) signato 112-I-10 et P-I-10. Nostri quoque Iohannis esse uidetur Historia Hispaniae quae col. 1492 his indiciis demonstratur : « Ioannis Aegidii (Fr.) Hispaniae

Historia » in fol. (caj. 12, num. 18) » ; et infra, in « Biblioteca de Materias », col. 1513. « Historia de España, de fr. Ioan Egidio, en latin, ms en fol. (caj. 12, nums 18, 24) ».

Aegidius González Dávila in « Teatro eclesiastico » t. II, (Matriti edito, anno MDCXLVII, p. 390), inter « varones ilustres en letras » ecclesiae Zamorensis numerat « fray Juan Gil, de la orden de San Francisco : fue primero secretario del rey don Fernando el santo y maestro del rey don Sancho el quarto, escrivio seys tomos, con titulo de Historia natural, ecclesiastica y civil. Un tomo con titulo de Archivo de las escrituras y otro de casos de conciencia ». — Gasparum Ibáñez de Segovia, « marqués de Mondéjar, de Valhermoso y de Agrópoli », qui ut dicit Gregorius Mayans y Siscar in editione eiusdem libri « Advertencias a la historia del P. Juan de Mariana » p. XII (Valencia, MDCCXLVI) multos possidebat libros et exquisitos, Iohannis Aegidii nos docet aduersaria habuisse Nicolaus Antonio « quae, inquit, quum haec scribimus tam longe positi, de eorum argumento consulere vix potuimus » (Bibl. hisp. uet. IX, n° 21, p. 110). Ex illis tamen aduersariis transcripsit unam sententiam Nicolaus Antonio (Bibl. hisp. uet. l. VII, n° 52), de qua infra agetur.

Idem Nicolaus tantummodo librum De praeconiis Hispaniae in exemplari quod Martini Vázquez Siruela erat[1] in manibus habuit : ex quo ea quae affert et ex Luca Wadding, Aegidio González Dávila et Thoma Tamayo de Vargas, etc., multa eruditione sagax extraxit. Quare de Iohannis Aegidii operibus diserte pro tempore locutus esse dici potest. Equidem cum ab illo tum a Iohanne de San Antonio, de quo infra (p. 15), fundamenta ad hoc de Iohanne Aegidii capitulum componendum mihi oblata esse declararem, nisi florezianum exsisteret apographon, de quo mox agemus : quod nobis multo plura et certiora praebebit.

De codicibus autem Zamorensis monasterii aliquid in notitiam venisse canonico Iohanni de Loaisa constat ex apographo Libri de Praeconiis quem describi a Bartholomaeo Gallardo iam diximus : namque in eo haec nota ab ipso canonico scripta, si Bartholomaeo credimus, legitur :

« La Historia de Fr. Juan Gil de Zamora se guarda en el convento de San Francisco de Zamora, en 7 cuerpos de una vara de largo cada uno, mspts, en pergamino encuadernados en becerro negro y tablas, y algunos dellos están muy maltratados. » Sequitur, ut opinor (nam Gallardo parum clarus hic est) titulus uoluminis primi Zamorensis, ab Iohanne de Loaisa transcriptus : « Incipit Prologus in Librum Illustrium personarum, videlicet, Patriarcharum et Prophetarum, Apostolorum, et Evangelistarum, Martyrum et confessorum, Virginum, et Viduarum, et aliorum sanctorum, personarum et etiam famosarum, cuiuscumque status et sectarum, Imperatorum, Regum, et Summorum Pontificum editus a fr. Ioanne Ægidii, de ordine Fratrum Martyrum juxta ordinem alphabeti. » Sed ipse liber in quo illa nota scripta est non continet aliud quam Librum de praeconiis.

1. Vide Bibl. hisp. uet., l. IX, n° 10. Dictus Martinus obiit anno MDCLXIV.

Octauo decimo demum saeculo illud tertii decimi legatum tantum non omnino integrum capere datum est. Nam et Henrico Flórez, ut aptiore loco dicetur, transcriptus est codex, quo nunc paene unico, quid fuerit uniuersum Iohannis Aegidii opus, scire possumus; et Salmanticensis Iohannes de San Antonio manu scripta quae in Zamorensi monasterio conseruabantur et uidisse se dicit et legisse (Bibliotheca uniuersa franciscana... Matriti, anno MDCCXXXII, p. 16). Qui etiam tractatus de Rebus Hispaniae exemplaria uidit Salmanticae in bibliotheca Collegii sancti Bartholomaei (ubi Tostado rector fuerat), Matriti in Regali Bibliotheca, in urbe Cabaña denique prope Ocaña apud Iohannem Manuel Pantoja. In Escoriali uidit sancti Nicolai de Ledesma Vitam, et apud Pantoja quoque quandam Legendam sanctorum per ordinem alphabeti. Salmanticae in Collegio sancti Bartholomaei etiam de Iesu et Maria librum inuenit.

Emmanuelis Risco, qui opus inceptum ab Henrico Flórez persecutus est, Libri de Praeconiis Hispaniae tractatum VIII (septimum in codice parisino, uide p. 24) de primo nomine Legionis, quam Florem uocatam esse antiquitus affirmat Iohannes (España sagrada, t. XXXIV, p. 27) et de opusculo Pelagii Ouetensis quod ibidem citat (Esp. sagr., t. XXXVIII, p. 133).

In « Historia del Colegio viejo de san Bartholome mayor de la celebre Uniuersidad de Salamanca escrita por don Joseph de Roxas y Contreras marques de Alventos... » (Madrid, 1770, in fol., 2ª parte, tomo 3°, p. 308-341), index alphabeticus inuenitur « de todas las obras manuscritas tocantes a facultad y erudicion que se hallan en la libreria del Colegio viejo de san Bartholome mayor de la universidad de Salamanca ». Qua in tabula p. 327 legitur « Ioannes Egidius, de rebus Hispaniae. Comienza : Hispaniam, sicut refert Beatus Isidorus, tubal fundavit; y acaba: Regnat Deus sublimis per infinita saecula. Amen. vol. 1 Tiene 121 hojas en folio ». — Eadem uero pagina : « Ioannes Egidius, Ordinis Fratuum (sic) Minorum, Tractatus de Iesu et Maria. Comienza: In nomine Iesu omne genu flectatur Caelestium, terrestrium y acaba : qui cum Patre, et Spiritu Sancto uiuit, et regnat in saecula saeculorum, vol. 1 vitela. Tiene 231 hojas en folio. » P. 341 addit : « Zamorensis Egidius, Rectorica vol. 1 », et p. 311 : « Aegidius Ioannes, de rebus Hispaniae. Comienza : Quemadmodum; y acaba : Per saecula infinita. Amen. volum. I. Tiene 119 hojas en fol. »

Duo ergo in S. Bartholomaei Collegio erant eiusdem de Rebus Hispaniae tractatus exemplaria pene pari paginarum numero, non tamen pari modo incipientia. Alterum Iohannes de San Antonio citat. Qui librum quoque de Iesu et Maria ita citat ut, cum Roxas textus ipsius transcripserit initium, praeeuntia uerba, quae tituli loco scripta sunt (id est quod uocamus « incipit »), ipse rettulerit. « Rectorica » autem eiusdem non memorat.

Notas quas de codicibus libros de Praeconiis Hispaniae, proprietatum et de Iesu et Maria continentibus, Franciscus Pérez Bayer, qui Regiae Bibliothecae Matritensi fuit praefectus, Bibliothecae ueteri Nicolai Antonio, in editione quam curauit, adscripsit, in promptu habet lector.

De « un códice manuscrito y original de ellas (las obras de Juan Gil) en la Biblioteca de sus hermanos los Observantes de Zamora » iam reperto mentionem facit Benedictus Cano in « Coronica general de España » quam Matriti edidit anno MDCCXCI p. 140 ; non autem qualis fuerit nos docet.

Ceterum ante hos triginta annos pauci Hispani undeuicesimo saeculo quis fuerit noster Iohannes nouerunt. Qui in « Diccionario geográfico - estadístico - histórico de España » quem Paschalis Madoz publicauit annis MDCCCXLVIII - MDCCCL, allegatur (tomo X. p. 193) de nomine antiquo Legionis, quod Flos fuisse contendit in libro de Praeconiis Hispaniae, tractatu VIII°. Sed Madoz uel eius laboris socius forsitan illud nouerit Emmanuelis Risco gratia (uide supra, p. 15). Bartholomaeus autem Gallardo in suo « Ensayo », ut iam dixi, describit (n° 2332) Hispalense apographon eiusdem libri de Praeconiis Hispaniae, unde in lucem extrahit aliquot notas. Sed Iosephus Amador de los Rios, quanquam tomo IV (anno MDLXIII edito) operis cui titulus est « Historia crítica de la Historia española » (pag. 32, n. 1) e « Teatro eclesiastico » (uide supra p. 14) Aegidii González Dávila quandam nostri scriptoris accipere uidetur notitiam, tamen tomo VI p. 202, n. 1 illum rediuiuum facit tempore Iohannis secundi regis Castiliae, secutus Rodericum Caro in « Adiciones al Libro de las antiguedades de Sevilla », de quo uide supra p. 12.

Antequam ad tempora nostra uenimus, id quod extranei eruditi de nostro Zamorensi scripserunt, paucis uerbis referetur. Nam in Bibliotheca ecclesiastica, quam anno MDCXXXIX Antuerpiae publicauit Aubertus Miraeus, frustra perconteris de illo, quasi nihil de rebus ecclesiasticis scripsisset. Adrianum autem Baillet irridet Iohannes de San Antonio negantem (De iudicio librorum, t. I. p. 1, cap. 7, § 5, fol. 139) opera eiusdem unquam exstitisse ; et Iohanni Fabricio Lipsiensi melius admonito, Lucam Wadding et Nicolaum Antonio secuto, nota est (quae hispanos doctos latuisse uidetur) : « naturalis historia ms. etiam in bibl. Thoruniensi, teste Petro Iaenichio in notitia Bibl. Thoruniensis, pag. 21 ».

Quantum autem uiris extraneis nuper ignotus fuerit idem Zamorensis elucet ex eo quod, excepto Libro de Praeconiis Hispaniae, neque reliqua opera eius Aemilio Huebner, cum Inscriptiones Hispaniae publicabat (anno MDCCCLXIX), neque apographa uidere, ut ex illis cognosceret quid Zamorenses codices continerent, contigit. Augustus Potthast in « Wegweiser durch die Geschichtswerke des europäischen Mittelalters bis 1500 » (Berlin, 1895-1896) non meminit nisi de eius Passione S. Nicolai pueri Ledesmensis ab Henrico Flórez edita.

P. Ewald in « Reise nach Spanien im Winter von 1878-1879 » (Neues Archiv, 1880) notat ms. Q-II 17, de quo uide p. 23, non autem P-I-10, de quo uide p. 13.

Manuscripta autem quae in monasterio Zamorensi exstitisse Ambrosius de Morales, Lucas Wadding, Iohannes de San Antonio, necnon Hieronymus de la Higuera (si quid fidei huic adhibendum est) certiores nos faciunt, adhuc reperiri nequiuerunt. Frustra enim anno MDCCCLXXX Ludovicus Rodríguez

Miguel, rogante Eduardo de Hinojosa pro Alfredo Morel-Fatio, ea inquisiuit. Cuius ex epistula intelligitur, expulsis ab Hispania anno MDCCCXXXIV monachis, uolumina, quae in Franciscanorum bibliotheca fuerant, decem annos cum aliis ex aliis monasteriis distractis in domo priuata permansisse deposita, ubi unicuique eligendi et apprehendendi quidquid placeret potestas fuerit; cum autem plura ueniissent, reliqua partim collegio quod hispanice «Instituto» dicitur, partim Seminario attributa esse. In « Instituto » nihil inuenit Ludovicus Rodríguez; Seminarii cum nihil esset bibliotheca nisi quoddam « inmenso montón de libros sin orden alguno », quamuis rogitanti per praesulem illos Aegidios quaerere non licuit, immo se ad ordinandam illam quam uocabant bibliothecam promittenti « ipsos uero hoc se facturos cogitare » responsum est. Vtinam ex illo anno MDCCCLXXX tempus et otium faciendi habuerint! Cum autem adhuc mihi non fuerit Zamoram eundi occasio utilis, utrum habuerint annon nescio.

Ceterum cum publicaret suas « Memorias históricas de la ciudad de Zamora » Caesareus Fernández Duro anno MDCCCLXXXII, nihil de illis tam decantatis codicibus sane nihil noui audiuisse uidetur.

Quae cum ita sint, deficientia illa Aegidia dum in lucem denuo prodeant, ex manuscripto quod in Bibliotheca publica matritensi exsistit, quid continuerint, colligi et exponi posse infra declarabitur. Quo usus et aliis paucis de quibus inferius loquemur, Fidelis Fita e Societate Iesu et Librum de Praeconiis ciuitatis numantinae, et fragmenta multa anno MDCCCLXXXIV sequentibus — quae publicauit in « Boletín de la Real Academia de la Historia » (tomo V, p. 131-200, p. 308-328; VI, p. 60-71, p. 379-409, p. 418-429; VII, p. 54-144; XIII, p. 187-225, 291-295). Quod illi et Academiae Historicae hispanae tanto maiori laudi est quod inter Iohannis opera ea quae plurimum edi referebat edidit.

Ita uero id quod susceperat effecit, ut in scriptis Iohannis quidquid esset nouum atque utile publicaretur, non tamen totius operis forma, materia et conditio exposita sit. Nunc quas res tractauerit et quomodo eas digesserit monachus ille franciscanus, quos imitatus sit aut satis habuerit transcribere, num propria denique inseruerit, reliquum est ut perquiratur.

De spectantibus tamen ad historiam tractatibus (hoc enim uerbum crebro ipse usurpauit) fere tantummodo hic agetur; nam ad ea quae ad quaestiones naturales nisi obiter non est locus attendendi. Neque propositum habeo nunc exquirere, quid ab aliis scriptoribus mutuatus sit, quid ex eo alii sumpserint: quod longius me deduceret quam optaui. Descriptio, non historia operum historicorum hic tantummodo inuenietur. De poeta autem non habeo quid dicam, post ea quae demonstrauit Fita.

Capitulum II

Quid ex manu scriptis libris percipiatur.

§ I. — Praeconia.

Liber de Praeconiis Hispaniae. — Inter illos historicos tractatus unus est cuius cognoscendi non ita magna difficultas et iam susceptio obuia est; quippe qui singulis a scriptoris aetate saeculis semel aut saepius transcriptus, in uno etiam codice fere illi aequali inuenitur. Quo perlecto suppeditabunt ea quibus cetera opera illustrentur.

P. — Vnum exemplar habet Bibliotheca publica parisina, cui « Nov. acq. 175 » inscriptum est, saeculo XIV° exaratum. Illius apographon (quod duobus tomis CCCLXVII et CDLXI paginarum constat) manu propria scripsit Morel Fatio: quod mihi cum notis quas habebat collectas liberaliter propinauit.

Codex ex pergamena Nou. acq. 175 Bibliothecae parisinae ima pagina qua titulus inscriptus est, habet « Reg. C. 6517. 1873 ». In uacua pagina ex papyro praecunte manus antiqua scripsit « II u 19 P 25. Spectat ad familiam de Romanis e Casalimajore ». Inferius autem : « volume de 120 feuillets, 28 avril 1873 ». In tergo : « F. Aegidii de Rebus Hispaniae. M(anuscriptus) Mem (branaceus) ».

Praefationem, quam auctor exarauit, non totam referam; quam Fidelis Fita ex ms. escorialensi II-Q-17 in « Boletín de la Real Academia de la Historia » anno MDCCCLXXXV, tomo II°, p. 129°, publicauit, dum de Praeconiis ciuitatis numantinae tractatum ex codice Academiae Historicae edidit, de quo infra dicetur. Iam autem per Nicolaum Antonio eadem praefatio ex alio codice transcripta innotuerat. Tantum partem praefationis, qua enumerauit auctor res de quibus locuturus erat in libro, transcribam.

« Primus autem tractatus erit de hispanici nominis impositione et impositionum uarietate ꝛ populationum diuersitate. Secundus erit de hyspanie fertilitate seu fecunditate. Tertius de eius franquezia seu liberalitate que reges debet inducere ad benefaciendum maxime suis. Quartus de eius fortitudine quo ad situm ꝛ quo ad animum ꝛ de diffinitione fortitudinis eius speciebus. Quintus erit de aliquorum uirorum hyspanie potentifica strenuitate et

animositate. Sextus de uirorum ecclesiasticorum exemplifica bonitate, que reges debet inducere ad cultum ⁊ circumspectionem dei per timorem diuine potestatis ⁊ cogitationem diuine ueritatis ⁊ amore diuine bonitatis. Septimus de philosophorum et doctorum eiusdem sapientifica perspicacitate que reges debet inducere ad circumspectionem sui ⁊ populi per uirtutem temperantie ⁊ continentie, iustitie et clementie, prudentie et cautele. Octauus erit de ciuitatum eiusdem nominibus immutatis. Nonus uero erit de appologia principum ⁊ magnorum ⁊ eorum tirampnica ceruicositate incipiendo a creatione mundi usque nunc descendendo per imperatores ⁊ reges usque ad tempora nostra; Decimus erit de iuribus magnorum ⁊ de obligationibus uassallorum in quibus uidelicet uassalli dominis et uassallis domini teneantur. »

In tractatus et capitula diuisum est opus, quorum tituli rubris litteris in angusto saepius dextera non laeua in margine positi sunt, ubi uacuam amanuensis reliquerat uersus partem :

(f. 1ᵛ) Incipit tractatus primus de hyspanie populatione. — (f. 4) § de hyspan rege.

(f. 4ᵛ) de hispanie fertilitate secundus tractatus.

(f. 6ᵛ) de hyspanie liberalitate tertius tractatus.

(f. 11ᵛ) de hyspanie fortitudine ⁊ nobilium strenuitatum quartus tractatus. —(f. 16ᵛ) § de uinatio. — (f. 17) § de Traiano imperatore. — (f. 19) § de Nerua. —(f. 19) § de Adriano. — (f. 20) § de Theodosio. —(f. 20ᵛ) § de Gyserico. — § de rycilla. — § de Leouigillo. — § de Recharedo. — § de sisabuto. — (f. 21) § de Rege Banba. — (f. 21ᵛ) § de Roderico rege. — (f. 22ᵛ) § de muza principe. — (f. 29) § de rebellione pelagii in asturiis. — (f. 29ᵛ) § de fuga pelagii ad montes ⁊ recessu christianorum ad ipsum. — (f. 30) § de cauea pelagii ⁊ eius obssessione ⁊ arabum prostratione.

(f. 45) de uirorum hyspanie sanctitate ac honestate Quintus tractatus. — (f. 46ᵛ) § de triplici strenuitate quam debent reges habere.

(f. 55) de philosophorum aut doctorum yspanie perspicacitate. VI tractatus. — (f. 55ᵛ) § de triplici strenuitate reg-[is?] respectu sui ⁊ populi.

f. 65ᵛ) de locorum yspanie nominibus inmutatis VII tractatus ⁊ primo de locis regni legionis. — (f. 66ᵛ) § de locis Castelle. — (f. 68ᵛ) § de locis portugali. — (f. 69) § de locis aragonia. — (f. 71ᵛ) § de Carpentania ⁊ locis Nauarre ac Prouintie.

(f. 87) De appollogiis principum ⁊ magnorum et eorum tirampnide. VIIIᵘˢ tractatus. — (f. 87ᵛ) § de nemroth. — (f. 88) § de nino [uacua hic relicta sunt loca ad titulos de Romulo, Nabuchodonosor (f. 89, uacuo etiam toto folio 89 uerso) Euilmorach, Philippo, etc. (f. 90)]. — (f. 100ᵛ) de seditionibus que contingerunt post regem rodericum.

(f. 104ᵛ) de iuribus magnorum ⁊ obligationibus uassallorum. IXᵘˢ tractatus.

(f. 108ᵛᵒ) Incipit liber XIᵘˢ de regulis bellorum generalibus.

(f. 111ᵛᵒ) De cautelis habendis in actibus bellicis XIIᵘˢ liber.

Non inutile existimaui rubricas illius codicis transcribere, quibus, quanquam multae desunt etiam in codice parisino antiquissimo, si quis textum de

Praeconiis ciuitatis numantinae a Fita editum adhibuerit, iam quid sit opus de Praeconiis Hispaniae ille intelligere poterit, sicut infra demonstrabitur.

Animaduertere est primo non congruas esse rubricas cum titulis in praefatione praemissis. Secundo, tractatum decimum, si rubricis credendum est, nullum esse : quarti scilicet et quinti tractatus titulos in prologo enuntiatos in unam rubricam (f. 11°) redactos esse, cum quinti tractatus rubrica folio 16° codicis ante « de uinatio » aut « ut autem exemplis » scribenda esset; exinde pro sexto tractatu inscriptum esse quintum folio 45° et sic deinceps. Tertio, in prologo decem quidem tractatus tantum praenuntiari, duodecim autem in codice nostro inueniri.

Tractatus autem nonus (qui decimus dici debebat) conclusionem habet, cui in libris antecedentibus nihil exsistit simile, et ex ea intelligendum uidetur fine illius libri primitus terminatum esse opus totum : quod etiam ex prologo colligitur.

Ceterum uterque tractatus ultimus ualde proprium aliquid, ambo commune aliquid habent. Nam undecimus quidem nihil magis quam praecepta de militari arte ex Vegetio pleraque sumpta continet, sine ullo loco ex historiis, ut in reliquo opere fieri solet, petito. Alter autem nihil magis est quam collectio quaedam narratiuncularum per ordinem titulorum collocatarum, qui in prologo eiusdem libri proprio leguntur pari modo incipientibus omnibus paragraphis, uerbi gratia : « De locorum difficilium euasione narrat uegecius quod... — De discordie seminatione inter hostes narrat uegetius quod... » Reliquo certe in opere nihil uideo quod istiusmodi siccitatem et uniformitatem redoleat, nisi in tractatu octauo, ubi mala quae commiserunt aut passi sunt reges sueui gothique (fol. 99 sqq.) enumerat. Quanquam is locus a Roderico toletano sumptus, non ita incompositus quidem, immo satis oratore dignus uidetur si conclusioni attenditur. Nihil simile in libro duodecimo, ubi deficit illud quasi arenatum quod inter collecta et undique coacta fragmina ponere solet Iohannes. Et idem de undecimo libro dici potest, in quo, quemadmodum artis militaris solent exponi praecepta, ita sententiis sententiae succedunt.

Nescio an inde colligi possit ambos ultimos tractatus non ab Iohanne esse compositos : quanquam eum, qui huius modi compilationem susceperit, et ingentia undique fragmenta in librum ualde indigestum, neglecto et ordine et proposito, coegerit, non habere haud mirum est rationem et modum proprium scribendi uel componendi, quo discerni possit, quid ab eo, quid non procedat.

In codice certe parisino praedicto, undecimi et duodecimi tractatus non eadem est scriptura ac reliquorum; acutior in illis et elegantior uidetur. Insuper in illis quidem notae quae litteris pro littera n aut m superposita sunt parum longis tractibus, in reliquis autem libris punctis crassis et quadratis figuris quae rhombi dicuntur similibus constant. Littera etiam g maxime dissimilis est. Rubricae uero in illis solis repetitae sunt summis singulis paginis: nullae denique in margine additae sunt sententiae, contra quam in ceteris factum est (uide p. 27). Adde quod, praeter aliquot locos in margine

codicis parisini folio 12° (tractatu II) scriptos atque e Vegetio sumptos, hunc alias non uideo ab Iohanne allegari, nisi in tractatibus XI et XII.

Ex illa tamen externa unius codicis, antiquissimi quidem, descriptione, quid sit argumenti colligendum non satis uideo, nisi ambos tractatus ex aliquo codice posterius addi alia manu potuisse. Nam in cod. matritensi I-217, inueniuntur qui, ut dicetur, e deperdito ipsoque e zamorensibus tomis pendente apographo pendet. Cum autem illos zamorenses tomos Ambrosius Morales Iohannem Aegidii propria manu exarauisse testetur, nisi errauit bonus ille uir (non enim uidit illos codices), ambo tractatus de quibus agitur restat ut nostrum Zamorensem auctorem habeant.

Ad cetera exemplaria transeamus in quibus Liber de Praeconiis Hispaniae inuenitur. In epistula quam ad Alfredum Morel-Fatio anno MDCCCLXXIX misit Iosephus Maria Octavio de Toledo quatuor codices indicauit et descripsit illum librum continentes, quos in Bibliotheca publica matritensi examinauerat. Qui omnes in Bartholomaei J. Gallardo « Ensayo de una Biblioteca española » (Madrid, 1866) notati (non tamen sine errore), ab ipso Morel-Fatio anno MDCCCLXXX et a me postea anno MCMI recogniti sunt.

Ma. — Codex R-204 (hodie 6353), LXXVIII foliorum, rubro corio inuolutus, duodecim tractatus habet cum rubricis (quae, ut animaduertit ille Octavio de Toledo, in plerisque codicibus deficiunt). Dedicatio et initium praefationis, exceptis transcriptionis erroribus, eadem sunt atque in parisino codice. Duodecim uero tractatus enumerat praefatio : « .... in aliis libris nostris. Vndecimus erit de regulis bellorum generalibus. Duodecimus erit de cautelis habendis in rebus bellicis. » Rubricae hae sunt quae a codice parisino differunt : de hispanie impositione primus tractatus. — Rubrica de Hispan rege deficit. — De franquezia et liberalitate tractatus III. — Deficiunt rubricae de Vinatio; de Nerua; de Adriano; de Theodosio etc., non autem de rebellione Pelagii (cui additum est « in asturiis » quod deest in parisino), neque duo sequentes (recursu pro recessu). — Deficit rubrica de locis Portugalie. — Vt in parisino rubrica deficit de Galletia. — Tractatus octauus habet rubricam quae non est in parisino : de moribus romanorum; deest autem alia quam ille habet : de seditionibus que contingerunt post regem rodericum. — Vt in parisino deest tractatus numero decimo signatus. — Post rubricam de regulis generalibus bellicis legitur tractatus undecimus siue liber est de regulis generalibus bellorum. — Vltimus sic est notatus : duodecimus liber sine tractatus est de cautelis habendis in rebus bellicis et agendis. Qui XXIX capitula, ut in parisino, habet.

Codex ille Bibliothecae publicae matritensi, cum condita est, attributus esse uidetur. In indice quem confecit Iriarte, his uerbis notatus est : « Zamora (Fr. Juan Gil de) de la orden de S. Francisco. De Praeconiis Hispaniae : copia original de Vazquez Siruela. » Ne autem quis inde colligat eundem illum esse ac codicem quo usus est Nicolaus Antonio, Octavio de Toledo se in alio codice eiusdem bibliothecae (G-138) inuenisse declarat notam quandam a Martino Vázquez Siruela in margine exaratam, cuius manus satis distet a nostro codice Ma; quem etiam cum epistula ab eodem scripta anno MDCXL, quae in

codice R-18 hodie comprehenditur, comparatam, uno saeculo existimat esse antiquiorem. Ceterum si quis textui ipsi attenderit dedicationis quam transcripsit Antonio, multa inueniet quibus inter se differant : hic enim dat « humidissimus » pro « humilimus ». Non istiusmodi lapsus eum fefellisset; neque id scripsisset nisi in codice Martini ita repperisset : cuius initium ad litteram eum apparet transcribere. Tradit Nicolaus : « frater Ioannes Aegidius Fratrum Minorum indignus apud Zamoram doctor », et Ma : « F. I. Egidii Fr. m. apud Z. doctor indignus ». Adde quod quam rubricam primo tractatui praeposuit : « Liber primus de hispaniae incoeptione, nominis inpositionum uarietate, et populationum diuersitate », ea non parum distat ab illa quae est in cod. Ma. — Cf. Ioh. Menéndez Pidal, « Leyendas del último rey godo », p. 102.

Mb. — Aliud apographon, eleganti manu XVI° saeculo constitutum, cuius textus aut certe rubricae cum Ma congruere uidentur, in codice F-55 (hodie 1348) a principio Bibliothecae matritensi oblato, inuenitur, f. 167-272.

Mc. — Simile quoque est apographo Ma aliud XVI° uel XVII° saeculo confectum, in codice F-131 (hodie 1508), fol. 1-104, qui Bibliothecae etiam simul ac condita fuit assignatus est. Eandem clausulam atque Ma, ut Mb, habet. Tractatus de locorum Hispanie nominibus numero octavo, tractatus de apologiis etc., nono, tractatus de iuribus etc., decimo notatus est. Praeit index.

Md. — Codex autem I-217 (hodie 2763) saeculo XVIII° exaratus, de quo infra uberius disseretur, librum quoque de Praeconiis Hispaniae, fol. 220-311 continet, congruentibus cum codice Ma rubricis.

In Bibliotheca regali matritensi illos manu scriptos libros uidimus Morel-Fatio et ego postea :

MPa. — Codex 2 I 3 (qui et VII II 3, olim uero n° 234), charteus, XV° saeculo exaratus, non ita pridem compaginatus, LXI foliorum, cum hoc titulo in tergo : Zamora De Hispan. Popul., tantum decem primos tractatus complectitur : et errore tractatus quidem « de triplice strenuitate » tanquam tractatus « de litterarum hispanie nominibus immutatis » numero VII, decimus autem numero IX (ut in Parisino, pari clausula, sed addito : Deo gracias et Virgini Marie) signatus est. Eadem dedicatio est ac Parisino

MPb. — Codex 2-K-3 (qui et VII II 2, olim uero n° 191), charteus, LVII foliorum, XVII saeculo exaratus, cum hac nota : « de la bibliotheca del Collegio Mayor de Cuenca. » In tergo : de reb. Hisp.[1]. Similis codici Parisino dedicatio, excepto « humilissimus » pro « humillimus » et « foeliciter nunc propere procedenti » et regnanti pro « feliciter uiuere prospere procedere et regnare ». Post tractatum X (fol. 50) : « Finis. Index supradictorum tractatuum. » Quem indicem bis ibidem repetitum hic transcribi operae non pretium est. Sequitur alius index (fol. 51) « de aliquibus notabilibus huius libri » (id est libri de Praeconiis) ; postea « declaraciones de algunas abreviaturas » ; denique « liber undecimus de regulis bellorum generalibus et liber siue tractatus de cautelis habendis in rebus bellicis et agendis ».

1. Tres illius Bibliothecae regiae matritensis Iohannis Aegidii opera continentes ex eadem bibliotheca Conchensi allati sunt codices : MPb, MPf, MPg (uide p. 49-51).

MPc. — Codex 2-H-3 (qui et VII-F-4, olim uero n° 405), CXXII foliorum signatorum (388-510), e quibus duo ultimi indicem continent, titulum habet ut MPb, in tergo autem «Aegidius de Hispaniae populatio|ne|». XVII saeculo exaratus, non dudum compaginatus, solum habet decem primos tractatus.

MPd. — Codex 2-H-3 (qui et VII-F-4, olim uero n° 405), CXXI foliorum (signatorum 1-121), alioqui plane superiori similis, eadem manu scriptus uidetur.

Non ex foliorum numero duorum horum codicum colliget alterutrum eundem esse atque illum qui in indice Bibliothecae salmanticensis a Roxas constituto p. 327 (foliorum CXXI) designatus est, si quis ambos regiae Bibliothecae codices, non autem salmanticensem habere prologum animaduerterit: quanquam potuit Roxas errore praetermittere prologum; quod si forte euenit, codex MPd magis potest esse idem ac Salmanticensis, cum pari numero foliorum sit. Ille uero de quo p. 311 agitur, ut habet prologum, ita numero foliorum (CXIX) magis quam alter distat ab iisdem (quorum unus habet, ut dictum est, CXXI, et alter CXXII folia).

E. — In escorialensi Bibliotheca asseruatur codex Q-11-17, charteus, CII foliorum, XV° saeculo exaratus, quem et recognouit Morel-Fatio et de eo loquitur Fita, initio edito, in « Boletín de la Real Academia de la Historia » (MDCCCLXXXIV, tomo V, p. 131) et ego postea uidi anno MDCDX ac simulacra obtinui. Quem existimanti Francisco Pérez Bayer « eundem esse... quem noster (Antonio) apud Martinum Vasquium Siruelam se uidisse perhibet » (Bibl. hisp. uet., l. IX, p. 109, nota 1) Fita recte contradicit. Pluribus enim uerbis differunt inter se initia duorum illorum apographorum. Ipsi autem Fita, cum Ewald existimanti illum Escorialensem potius quam alium esse posse eum quem Morales Oueti uiderit, nescio quid argumento fuerit, cum et tot sint apographa Libri de Praeconiis Hispaniae et Morales declaret: « el libro parece tan antiguo como su autor »; quod quarto decimo saeculo, non quinto decimo codicem confectum indicat. E nota quadam in primo folio scripta apparet hunc codicem Petri Manuel Legionensis episcopi fuisse, qui Zamoram translatus est anno MDXXXIV (cf. Risco, Esp. sagr., t. XXXVI, p. 110).

O. — In Bibliotheca ducis de Osuna apographon XV° saeculo, littera « procesada » confectum, CCXIX foliorum in 4°, cum uno albo praeposito litteris quas « garabatos » hispanice dicunt insolenter ornato, uidit Morel-Fatio, et idem constat esse atque illud quod describi a Mario Schiff dixi p. 8, quanquam CXX folia hic tantum numerat, nam ibidem ducentesima undeuicesima opus terminari etiam asserit. Habet antiquam notam 2-1-24.

B. — Liber de Praeconiis civitatis numantinae. — Libro de Praeconiis Hispaniae, etsi ei tanquam implicatum, Librum de Praeconiis ciuitatis numantinae discerni debet. Quem nemo indicauit antequam ab Wilhelmo Gotthold Heine codex Berolinum ex Hispania anno MDCCCXLV allatus, in Serapeo[1] denuntiatus est, in quo cum alio libro qui inscriptus est Gesta Roderici Campidocti comprehensum erat. Illa autem ipsa Gesta a Risco publicata Masdeu « Historia

1. T. VIII, p. 78-80.

critica de España y de la cultura española » (t° XX, Madrid, MDCCCV) negauerat exsistere. In « Memorias de la Real Academia de la Historia » (Madrid, t. VIII, 1852, p. LI), quo pacto in possessione codicis illius Academia Matritensis constituta sit, narratum est. Qui signatus Est. 23, A 189, gr. 7ª, post chronica quorum nondum editam partem nuper publicaui (in « Bulletin hispanique », t. XI et XIII) et gesta praedicta, foliis 89-136 minoribus, grandiore uero littera, continet Librum de Praeconiis ciuitatis numantinae. Nemo iterum de illo libro quidquam, ut reor, scripsit, antequam Alfredo Morel-Fatio sciscitanti Eduardus de Hinojosa anno MDCCCLXXVIII eum indicauit. Quem cum Matriti ex parte Morel Fatio transcripsit, satis fuit notare quibus uerbis sententiis uel aliquando amplioribus partibus differret a septimo (qui octauus dici debebat) de Praeconiis Hispaniae (cui titulus est de locorum yspanie nominibus) et octauo tractatu (qui nonus dici debebat) de apologiis principum et magnorum et eorum tyrannide. Nam ex illis duobus tractatibus Libri de Praeconiis Hispaniae constare Librum de Praeconiis ciuitatis numantinae summatim dici potest. Quem demum Fita edidit integrum in « Bol. de la R. Acad. de la Hist. », t. X, p. 134-200, anno MDCCCLXXXIV et ego Matriti iterum examinaui. Habet suum prologum cum diuisione operis in septem partes, quarum sex primae septimum, septima octauum tractatum Libri de Praeconiis Hispaniae repraesentant. Quam diuisionem iam indicauerat Caesareus Fernández Duro in « Memorias históricas de la ciudad de Zamora, su provincia et obispado » (Madrid 1882, t. I, p. 16). Prima incipit a sententia quae medio octauo tractatu de Praeconiis Hispaniae parum mutata et aucta quoque inuenitur : « Zamora fuit numantia antiquitus appellata sicut beatus Hysidorus ꝛ luchas thudensis episcopus in suis c[r]onicis atestantur. Hoc idem in ordinatione diocesum hyspanie a bamba rege illustrissimo reperitur ꝛ hoc idem in capitulo de ciuitatum ꝛ opidorum hispanie nominibus inmutatis similiter continetur » (ms. P, f° 72). Sequitur secunda sententía eiusdem tractatus : « hyspalis aliquando iulia romula fuit dicta eo quod ipsam iulius cesar fecit hedificare... » (ms. P, f° 65). Deinde fere idem textus est. Haec sunt quibus inter se maxime differunt duo libri :

I, 8. Codex parisinus non habet « alii uero dicunt ... hebreorum. » Post « ... de nomine tholemonis » habet « h pro littera computando », quod in A superscriptum est. Post « ... quibus credat » habet « hoc autem certum est quod thole iuncto tum efficit tholetum », quod in A scriptum cum imo folio praecisum est. — 9. Post « ... hyspalim nominauit » habet in margine « ... ut superius fuit tactum ». — 13. Post « ... parua gallia » habet « uel a gala quod est lac uel a galathis secundum hysidorum ꝛ huguitionem ꝛ alios hystoriographos ». — 15. Pro « in libro nostro cuius titulus ... » habet « in libro cuius titulus ... ». — 16. Non habet « cacus autem ... comedebat. » — 17. Non habet locum satis longum : « in cuius transitu uoces ... similiter triumphauit. » — II, 1 et 2. Pro « ciuitatum et opidorum ... nummancia, ut superius est probatum » habet id quod iam transcripsimus « zamora fuit ... continetur. » et additum est in margine alia manu « alii uero libri habent neumanciam

a neuma s. per u scriptam. » — 3. Omittit « malebant enim ... ut ignaui ». — 6. Non habet « propter se namque tubal ... prelibatum ». — III, 2 et 3. Omittit (sed in tractatu quarto paragraphum 2 habet paene integrum). — V, 3. Omittit « hic habuit quinque uxores ... babtizatus. » — VI. Pro 3 et 4 habet id quod Fita transcripsit p. 200 : « prefata uero ... talionis. » — VII. Pro 1 habet sub titulo de appollogiis principum ꝛ magnorum et eorum tirampnide. VIII^us tractatus : « Post tractatum de ciuitatum ꝛ opidorum hyspanie nominibus inmutatis sequitur octauus tractatus de apologiis principum ꝛ magnorum de quibus loquitur sermo diuinus quod potentes potenter tormenta pacientur ꝛ iuditium durissimum hiis qui presunt fiet. Et ratio huius est quia ipsi qui totum mundum salubriter regere debuerunt totum mundum miserabiliter destruxerunt sicut exempla sequentia manifestant. Siquidem lucifer natione ... », et pergit cum 2, addita post « similiter operatur » hac sententia « iste primus proditor contra uoluntatem regis glorie uoluit auctoritate propria optinere in angelis principatum. » — 6. Omittit « romanorum mores ... et malignissimi proditores » qui locus ex beato Bernardo sumptus est. Non habet « ut fertur numanciam condidit », neque « alii uero dicunt ... continuo expirauit » locum satis longum. Pro « fuit autem roma condita » habet : « romulus igitur ꝛ remus romam hedificauerunt. » — 8. Pro « succincte tradidimus illud idem » habet « tradidi hoc succincte ». — 12. Ante « oracius » insertum habet « uirgilius brandusii moritur sed ossa in copolim (sic) transferuntur. anno eiusdem XXXV. » — 16. Post « alcuynus » habet « uel albinus » et, quod maxime notandum est, pro « sed hoc inferius pertractabitur, deo duce, cum peruenerimus ad delfonsum regem dictum castum » habet « sed hoc superius fuit tactum in tractatu de illustrissimo rege aldefonso dicto casto. » Ante « tres autem octhones ... » insertum habet « circa hoc tempus fuit in uasconia mulier que ab umbilico sursum diuisa duo capita habens una dormiente uel comedente altera qñque neutrum faciebat uixeruntque multo tempore nec uno tempore ambe mortue sunt. » — 21. Sententia quam cum folio praecisam non potuit in margine legere Fita haec est in P : « nam sequenti anno cum frisones subiugare uoluisset fuit a frisonibus interemptus. Item anno domini » etc. — 22. Pro « proditorias romanorum » habet : « proditorias aliquarum nationum. » — 23. Post « prouinciam pertransiuit » habet « ut superius est pretractum », id est in eodem codice f° 25, ubi legitur eadem amplificatio quae hic Libro de Praeconiis ciuitatis numantinae inserta est nec in Libro de Praeconiis Hispaniae repetita est : « Maledictus furor ... corpus beatissimi aldefonsi. » — 26. Non habet « fuit enim rodericus didaci, dictus mio cide ». Post « campiator cepit » omittit « ut inferius subscribetur », quod habet A, quanquam omisit Fita. Contra habet « ut superius est pretractum », quod A omittit post « optinuit in uirtute ». Quod sequitur usque 27 omittit P. — 29. Non habet « cum aliquibus legionensibus » sed « ut dicit R. toletanus. » Post « homagium non seruauit » habet « infans santius regis garsie de nauarra fuit apud rodam proditionaliter interfectus. Germanus eius sancius in penale (sic) fuit occisus. » Post « multitudine confidentes » habet

« credibile tum est quod ob tuitionem suorum iurium hoc fecerunt », et in margine alia manu « uix enim insurgunt collegia populorum nisi propter seuam et magnam tirampnidem dominorum ». Ante 30 habet : « rationabiliter tamen remissionem qua regnum fere destruxerat fuit factum. unde inputet ipse sibi ». — 31. Post « progenies eorumdem » habet « regibus autem aliis communiter hoc fecerunt ». Post « se minime habuerunt » habet « nec etiam legimus quod eidem restiterint (sic) etiam ad momentum pro domina naturali ».

In editione quam curauit Fita aliquid desideratur quod non parui referre mihi uidetur ad comparandos libros de Praeconiis ciuitatis numantinae et de Praeconiis Hispaniae. Nam in codice academico, non pauca in margine uariis manibus scripta sunt quae Fita non discreuit sed cum ipso libro concorporauit. Alia uero eadem plane manu ac reliquus textus, alia pene simili, alia denique posterioribus et distinctis, minutissimis etiam interdum litteris, sunt exarata.

Duobus locis eadem quae non in textu sunt scripserunt in margine binae manus una quidem similis uel pene similis ei quae textum exarauit, altera autem tenuior, et ea summa aut transuersa pagina : p. 154 : « in deliciis... summa quies » et, p. 169 : « distat autem a mari... honerate. »

Hoc uero non erat praetermittendum, quod, exceptis locis tribus (« alii uero dicunt... hebreorum », p. 138; « sed hoc infra discucietur », p. 141; et « malebant enim extra ciuitatem cum inimicis dimicando mori strenui, quam in ciuitate iam inedia conclusi dificere ut ignaui », p. 149), quae tantum in margine codici academico ascripta sunt, ea omnia in codice parisino inserta inueniuntur : I, 2 : ciuitas postmodum; — fuit| caput |regum; — 3 : tuda calcidonia fuit dicta; — 8 : pelagius uero... quod et factum est; — 10 : ut in cronicis communiter continetur; — et reparauit; — 15 : regis Valye; — dictum fuit in libro| nostro |de hystoria naturali et in| libro nostro (sed hoc « nostro » non habet P); — 16 : ut alibi fuit dictum sed reppetitur ut ordinabilius memorie commendetur; — seu coegit| ut alibi fuit dictum; — locum| ipsum; — anagarum quondam tricium uocabatur; — 19 : omnium |est sentina; — II, 2 : hanc numa pompilio secundum aliquos populauit qui post romulum (P addit « qui romam condidit secundus ») rex extitit romanorum; — conseruandorumque| peccorum; — 3 : igni |superesse; — 6 : citra| dorium; — III, 1 : ruconie| (primitus A habebat « rucoz ») ut est dictum; — expugnancium| uenit; — ciuibus strenue dimicantibus et eciam cum; — qui |sub Iohanne; — 4 : ipsam obsidione diutina conclusserunt; — in deliciis ducere... summa quies; — IV, 1 : post |mortem regis; 2 : presidio |se dedisset; — post triumphum ad propria redeuntes; — ducitur |captiuatus; — 4 : legionenses quidem usque ad carnem et sanguinem diu resistere noluerunt pro absente domino naturali; — portugalenses uidelicet et galleci; — 5 : rex sancius |occupare; — ualorem |animi (P autem non habet « animi »); — 6 : ut| eidem |traderent; — 7 : ciuibus |zamorensibus; — iuxta placidum; — 8 : hec autem uerba scire potuerunt hystoriographi... constitutus (P autem omittit « ut quidam dicunt »); —

10 : incunctanter; — 12 : ut [ipse asserebat: — prodicionis] crimen; — arie gundisalui] fernando arie; — ferrandum arie duris ictibus actriuisset et ipsum mortuum reputasset; — V, 2 : et contrarior] (P autem habet « comunior ») est a [sentencia; — uulgus quidem loquitur quod homagium fecerat almemoni; — 3 : ut tradunt hystorie; — et exinde ad regni gubernaculum processerunt; — apud legionem regnorum omnium (P habet « omnium » in margine); — VI, 1 : distat autem per duas... consonum sanitati (sed P habet tantum in margine « distat autem a mari... honerate »); — VII, 8 : phylippus pater... ciuis romana; — in libro quoque de mundi etatibus succincte tradidimus illud idem (P autem pro « quoque » habet « uero », et « tradidi hoc succincte « pro « s. t. i. i. »); — 11 : tunc eciam circulus ac celestis... solem; — uel secundum alios in aera celi; — 15 : daonium; — predecessorem... dissipatorem; — 16 : camerarius..., unde uersus; — 20 : nullam penitus... lignea habentem; — 21 : post mortem frederici; — excepta uidelicet... pontifficum; — 23 : hec excepta sunt ex cronicis goticis hysidori et roderici archiepiscopi tholetani (duo ultima uerba non habet P); — fecit uasconibus... et regnum nepo[tis (ea quae sequuntur usque ad « claminis redonatur », eadem manu ac textus, uersus uero excedendo, dextra laeuaque exarata sunt); — 30 : domino didaco.... ipsum regem.

Tres loci qui in codice academico textui inserti sunt, tantum in margine scripti sunt codicis parisini : et auaricie... heretice (P habet « hebetice »), p. 147; ducenti uno excepto... milia centum, p. 179; recesyundi regis et eciam usque ad destrucionem hyspanie per arabes (quae eadem manu ac tractatus XI et XII eiusdem codicis exarata sunt, uide p. 20); non habet P « sicut », p. 199.

Vt uero quae in margine codicis academici leguntur e Libro de Praeconiis Hispaniae (nescio an e codice parisino) a scriba qui illum constituerit primum et ab aliis deinde quibus conferre ambos libros libuerit translata esse potest existimari; ita forsitan e contrario aliquis excogitet quae in margine codicis academici a diuersis lectoribus scripta essent, ea in Librum de Praeconiis Hispaniae transtulisse illum qui codicem parisinum uel eius archetypum constituerit.

Md. — Articvlvs de nvmantinis Popvlis. — In codice matritensi I-217 (nostro Md) qui ex apographo, ut uidebimus, ex codicibus zamorensibus pendente pendet et Librum de Praeconiis Hispaniae, ut dictum est, etiam continet, inter fragmenta cuiusdam Libri Illustrium uirorum in litteram digesti, de quo plura mox scribemus, inuenitur sub verba « Numantini populi » pene totus Liber de Praeconiis ciuitatis numantinae, sine prologo et prima parte quae p. 134-148 tomo praedicto in Bol. de la R. Ac. de la Hist. edita sunt. Nam incipit a parte secunda p. 148, initio quidem ualde mutato, his uerbis[1] : « Numantini a Numantia Hispanie civitate ipsi modo sunt Zamorenses a Zamora civitate nominati ut in chronicis B. Isidori continetur. Hec in Piryneis montibus posita non procul est a flumine Dorio situata, secundum Orosium in

1. Inclinatis litteris denotantur quae addita sunt, et inter uncos quae aliter leguntur in Thesi nodosa, de qua uide infra, p. 30 (MPe).

chronicis suis. Ipsa similiter secundum eundem, ciuitas est cit*er*i*o*ris Hispanie non procul a Vacceis et Cantabris, in capite Gallecie constituta. Muri ipsius ciuitatis tria millia passuum... ». Prosequitur § 2 fere ut in Fita; et § 3, hic autem magis sensu quam uerbis « anno igitur ab urbe condita DCXX cum major pene infamia de federe apud Numantiam facto quam *apud* Caudinas quondam furtulas pudorem roman*ae* frontis secundum Orosium oneraret, Scipio Africanus consul... expugnandam. Haec autem civitas per annos XIIII... incautos circumveniret, sciens nunquam id genus hominum adeo in ocium corpore et [atque] animo resolui ut non ipsa qualitate habitudinis apparatus alliorum precellere [percelleret]. Sed aliquandiu militem suum in castris velut in scholiis [scholis] exercuit et cum partem estatis totamque hyemem ne quid adtempta [ne attentata quidem] pugna transegisset sic [nil] quoque parum propemodum hac pfecit industria nam ubi [quum] pugnandi copia facta est exercitus Romanorum opresus impetu Numantinorum terga conuertit, sed increpatione et minis obiectantis sese consulis manuque retinentis tandem indignatus in hostem rediit et quem fugiebat fugere compulit. Dificilis tunc in relatu fides Numantinos effugauere et fugientes videre romani. Vnde quamvis Scipio quia preter spem acciderat letatus esset (om. MPe) et gloriatus esset, tamen ultra bellum adversum eos audendum non esse professus est. Itaque Scipio insistendum inopinatis proventibus [preventibus] censuit, et urbem ipsam obsidione conclusit. Fossa etiam circumdedit cuius latitudo pedibus [pedum] X altitudo XX' fuit. Populum [ipsum] deinde valum subditus [sudibus] pstructum crebris turribus munivit ut si qua ab erumpente hoste in eum tractaretur irruptio, iam non quasi... (MPe om. versa vice) pugnaret. Igitur conclusi diu Numantini et fame trucidati deditionem sui obtulerunt si tolerabilia juberentur. Sepe etiam orantes juste pugne facultatem ut tanquam juris [uiris] moriens licere [mori liceret]. Vlt' omnes duabus subito portis eruperunt. Ac [adeo] igitur [que] post longam famen recalescentes Numantini se se obtulerunt. Atrox vero tunc fuit et durum (MPe om. uero t. f. et durum) diu certamen et usque ad periculum Romanorum fuit. Iterumque Romani pugnare adversus Numantinos fugiendo probavissent nisi sub Scipione pugnassent. Numantini autem interfectis suorum fortissimis bello cederunt [cedunt]. Compositis tamen ordinibus et aciebus non sicut fugientes in urbem revertuntur. Corpora mortuorum [interfectorum] ad sepulturam interfectorum (om. MPe) oblata accipere noluerunt novissima spe desperationis in mortem omnes destinati clausa urbem ipsi intitus se suscenderunt [intus succenderunt]; cunctique pariter ferro *et* veneno atque igne consumpti sunt magis enim elegerunt se ipsos interficere quam ab extraneis superari. Romani nihil ex his *penitus* habuere devictis preter securitatem suam; nec enim eversa Numantia vicise se Numantinos magis quam evasisse dixerunt. Vnum Numantinum victoris catena non tenuit unde triumphum dederit [dedit] Roma non vidit... (MPe om. ap. p. non fuit) (§ 4)... invicta discordia exitio ss [fuit] quod romani tanquam sibi ac de se dictum acceperunt. Item in chronicis Ivonis episcopi Carnotensis dicitur sic: Scipio longa obsidione et gravissimis preliis Numantinos ad hoc coegit ut se introrsum urbem

desperatione novissima cum suis omnibus succenderent. Numantia ista subversa romani magis evasisse numantinos quam *se* subdidisse dixerunt. Hoc tempore Brutus[1]... » Prosequitur § 4 fere ut in Fita, itemque sequentes usque extrema partis sextae, neque est quod uberius quid illo loco intersit inter ambos textus iam parum differentes hic exponatur. Notandum tamen est scriptum quidem sicut in codice Academico neque autem expunctum « in H littera » (II, 6), deesse autem « vulgus quidem loquitur quod homagium fecerat Almemoni, » (V, 2), et « fructus habet... sanitati ». E § 1 partis VII^{ae} tantum prima sententia hic legitur. Paragraphi 2-21 partis eiusdem, quibus « fascinora orientalium regnorum et sediciones proditorias romanorum (P: aliquarum nationum) » in libris de Praeconiis Hispaniae et de Praeconiis ciuitatis Numantinae Iohannes enarrat, non eodem loco positi sunt, sed fere hoc ordine leguntur, praeeuntibus quinque uerbis ex § 2 : « et ut altius traham recte (pro rete) aduertamus per quos subversi et sumersi fuerunt reges Hispanie usque modo et inveniemus quod raro per populares; frequentius vero per mobiles et militares homines principes corruerunt et per eosdem tota fuit Hispania devastata. Siquidem Athaulphus rex apud Barchinonem inter familiares fabulas a quodam suorum fuit proditionaliter interfectus. Sygericus rex a suis similiter interfectus. Thurismundus... (ut in § 23, deficiente tamen « rex inclitus Bamba... monachalem »). Sequitur § 23, addito « Froyla rex fratrem suum Vimaranum propriis manibus interfecit et sui in vindictam apud Canicas Froylam interfecerunt » (quod confer cum § 24), et detracto « hec excepta... tholetani. » Deinde aliquid ex § 24 : « Omissis autem antiquis gestis veniamus ad ea que post mortem Roderici non a magnis temporibus contigerunt. Sciant igitur Galleci quod ipsis contra regem Silonem rebellarunt, sed ipse Galleciam rebellantem in monte Cipio (*sic*) superavit. » Sequitur aliquid ex fine paragraphi 27 : « Similiter spreto Veremundo filio regis Sancii duo naturali Galleci quendam Veremundum filium regis ordinii super se regem in sede B. Iacobi creaverunt, » et § 28 : « Iterum tempore regis Veremundi filii Ordonii Cadon et Cadon (sic) et Ansilon vasalli et servi Ataulphi episcopi compostellani dñum su(u)m episcopum apud regem de crimine accusarunt quod promiserat .. traditurum ratione cujus acusatores suos et eorum semen maledictione coharctans sententialiter sic prefatur..... tenens fusum. Et cum recessisset a rege qui eum scitari fecerat in itinere vitam finivit... sepulture. » Repetitur denique § 1 (cum « zamorense », quod in codice academico expunctum est, pro « nummantinum », quod in margine eiusdem codicis hoc loco scriptum est) et § 2 addito « penitentiam damnatus non egit. » Subit § 3. Post prima uerba paragraphi 4 lector admonetur : « Quere supra ubi de Nino rege usque et preualuerunt idola egypti », id est usque ad finem eiusdem paragraphi cuius ultimam sententiam cum paragrapho 5 transcripta reperiuntur ut in Fita. E § 6 tantum haec : « Romulus fratrem suum Remum interfecit. Isti Romam edificarunt in

1. MPe om. « quoque turpiter, et puer rationale tunc quadrupes nascitur quadrimanus... duplex ». Quae sequuntur in Thesi nodosa magis distant ab articulo de Numantinis Populis quam ut hic pergamus ea notare.

monte Palatino... appellatur. » Subit § 7, et omisso « Phylippus... romana » (quod in codice Academico tantum in margine summa pagina et alia manu scriptum esse iam dictum est) § 8 sequentesque, sed non integri hi in codice Md transcripti sunt, nam amanuensis modo prima et ultima uerba paragraphorum, quales inveniebat eos, indicauit, u. g. « Aqui empieza otro parrafo que dice... » etc., « despues otro que empieza : Karolus magnus nunquam a latere suo dimitere voluit filias quas habebat & (cf. § 16). Despues otro que empieza : Henricus Henrrici filius imperator (cf. § 19) & y acaba : hec que dicta sunt ex chronicis autenticis sunt excerpta. » (quod cf. cum fine paragraphi 21). Repetitur § 22 fere ut in Fita, cum notis huiusmodi : « De Athaulpho et alliis qui hic sequuntur iam supra dictum est », uel : « de hoc rege Aldephonso que sequntur ut de in Oveto fabricata cruce de Bernaldo filio sororis sue Semene et de uocatione Karuli et resistentia regni jam alibi sunt dicta, meo videri ubi de isto alfonso sub litera A ». Quae nota inter « redonatur » et sequentia (§ 24) interposita est cum his uerbis : « Nunc autem post tantum digressum stylum ad prosequendas magnorum aliquas iniurias convertamus et adjungamus quod contra Ranimirum... » ; prosequitur deinde ut in Fita usque ad extrema § 31, post quae scriptum est : « Explicit XIII liber Historie canonice ac civilis ».

Ergo et uerbis et dispositione et longitudine ita differre articulum[1] de numantinis populis constat a Libro de Praeconiis ciuitatis numantinae, ut alter alterius esse refectio recte putetur. Maior tamen similitudo inter eos quam inter eundem articulum et Librum de Praeconiis Hispaniae apparet.

Md. — Articvlvs de zamorensibvs popvlis. Idem articulus sub uerbo « Zamorenses populi » repetitus esse uidetur, nam eo loco haec nota legitur : « Sequebatur legenda populorum zamorensium, sed preterquam quod est alibi positum quod de illa legitur, nempe ubi de Numantinis populis, reperiuntur pauca, quia plures deficiunt pagine, complectentes illam... »

MPr. — Thesis nodosa. Quartae autem, ut ita dicam, formae eiusdem opusculi, titulus est « Thesis nodosa an Zamora sit Numantia per Aegidium minoritam elucidata. » Quae cum aliis Iohannis scriptis (uide p. 12 et 41 et 48) in codice exsistit, qui XVII° saeculo exaratus, LXXXVII foliis, in Bibliotheca regia matritensi asseruatur (2 - M - 6 et VII - A - 5, olim uero n° 125). Articulo quidem de numantinis populis fere principio, ut iam indicatum est (uide, p. 27, notam), similis est, dein autem cum Libro de Praeconiis ciuitatis numantinae melius comparari potest, id est a § 5 partis II^ae usque ad extrema partis VI^ae ; dein ea quae eodem loco in articulo de numantinis populis inueniuntur habet, id est, mutatis primis uerbis : « Antequam dicta planius pateant intuenti advertamus per quos... populis vacua. » Inde : « Audiant detrectatores... amiserunt felicitatem » (§ 1-2). Paragraphi denique 7 initio utitur uti clausula : « Nabuchodonosor... (om. que vidit)... comedit, ita Rex Castelle Sanctius in superbiam elatus priuatus fuit regno suo et alieno ». Vt ea quibus

1. Vocabulum « articulum » usurpaui, T. Caio auctore, uelut commodius, quanquam Iohannis Aegidii non eo utitur.

principio ab articulo de numantinis populis differt Thesis nodosa notatum est, ita ea quibus maxime a Libro de Praeconiis ciuitatis numantinae discordat a § 5 partis IIae usque ad extrema partis VIae non a proposito nostro alienum erit summatim exponere. II, 5: omisit « forsitan... haberi » ; — post « Ponteyus » addit hispanice : « una legua de Zamora esta este lugar de 30 vecinos » ; — 6 : omisit « quia cetus tubal ut superius est expressum. Propter se namque » ; — pro « ut dicunt Ysidorus et Ieronimus » habet « ut Ysidorus dicit » ; — habet « ut est (non « superius ») in H litera prelibatum » ; — III, 1 : habet « Riuorum », omisit « ut est dictum » ; — 2 : omisit « non habens... maritalis» ; — 4 : omisit « Vigila... eiectus », « ipsam... conclusserunt et », « post multas direpciones... hostes », « et ante... quies » ; — IV, 1 : omisit « et Berizum... legionis » ; — 4 : omisit « legionenses... naturali », « portugalenses... galleci » ; — 5 : omisit « naturale... uigorem » ; — omisit « XIcim... consobrinos » ; — 8 : omisit « hec autem uerba constitutus » ; — 9 : omisit « incunctanter » ; — 13 : omisit « que sola... palacium infantisse » ; — 14 : omisit « gundisalui fernando arie », « ferrandum... reputasset » ; — V, 1 : omisit « et qui... prolis », « quem uisceraliter... morabatur », « ut alicubi legitur », « qui nunc... iniciati et » ; — 2 : omisit « et contrarior... supradicta », « uulgus... almemoni » ; — 3 : omisit « ut tradunt hystorie », « et hoc... mutuo iurarunt », « et exinde... processerunt » ; — 4 : omisit « dextera eius presidium... restituere dissipata » ; — VI, 1 : omisit « distat autem per duas dietas... sanitati ». Animaduertere facile est ea potissimum in Thesi nodosa omissa esse, quae in codice academico in margine tantum scripta sunt et ea textui Libri de Praeconiis Hispaniae inserta sunt.

Ergo quinquies eadem de Zamora in operibus Iohannis Zamorensis, quatuor uero formis satis inter se differentibus ita inueniuntur ut hae tanquam loculis loculi posse aliis aliae coagmentari uideantur. Nam Thesis nodosa pars articuli de numantinis populis est qui pars est Libri de Praeconiis ciuitatis numantinae, qui pars est libri de Praeconiis Hispaniae : nisi uerius dicatur Thesi nodosae quae simplex sola est (cum partem IIam, IIIam, IVam, Vam et VIam libri a Fita editi comprehendat, quae tantum ad historiam Zamorae pertinent), addita quidem parte VIIa eiusdem libri articulum de numantinis populis, addita autem Ia parte Librum de Praeconiis ciuitatis numantinae constitutum esse. Cui subiecto quidem paruo tractatu de iuribus magnorum et obligationibus uassalorum eandem rem ac parte sexta Libri de Praeconiis ciuitatis numantinae fusius uero explicante, praepositis autem septem tractatibus tam ad ethicam quam ad historiam spectantibus, Librum de Praeconiis Hispaniae, qualis inuenitur in aliquot manuscriptis, e decem tractatibus constantem formatum esse. Cui denique duobus ultimis additis tractatibus de rebus minime ad Hispaniae praeconia respicientibus, tandem e cellula monachi, quem elegerat Sancio filio praeceptorem Aldephonsus Sapiens, librum exiisse multiplicem, enormem, inconditum et indigestum, elegantia et arte, non doctrina carentem, quem nemo legere possit sine labore et taedio.

Vtut uero tot rebus appositis, non compositis, liber istiusmodi constitutus est. Fideli Fita assentiri potest dicenti : « me inclino á creer que el presente, ó sea el de preconiis civitatis Numantine al que el autor llama primum libellum, precedió al otro de algunos meses, y que acogido por el príncipe con agrado, Gil de Zamora utilizó inmediatamente sus materiales para obra de mayor fuste ». Quanquam non cur ita sentiret exposuit, et in contrariam iret sententiam si quis hoc unum animaduerteret quod, ut aliquot loci satis ampli desunt in Libro de Praeconiis Hispaniae qui codicis academici textui interpositi sunt, ita pauci in hoc desunt qui illi textui sunt inclusi. Eo uero facilius plane illi loci qui non in Libro de Praeconiis Hispaniae reperiuntur tanquam extranei detrahi ut is liber formaretur potuerunt, quo longiores et natura formaque magis erant (sicut uidere est obuium) separabiles.

Vnus certe est qui ante scriptus esse uidetur quam ille qui in Libro de Praeconiis Hispaniae pro eo legitur. Paragraphis 3 et 4 partis VI^{ae} libri a Fita editi comprehensus est, pro quo in Libro de Praeconiis Hispaniae exsistere alium iam dictum est, quem transcripsit Fita, p. 200. De quodam pacto inter milites et « burgenses » agitur ad quod adhiberi potuisse Iohannem recte Fita conicit similiter atque ubi « veinte e seis dias de dezembre era de Mill et trecientos e diez et seys años » (anno MCCLXXVIII), lata est illa « sentencia del infante don Ssancho entre el concejo de Çamora et el obispo et cabildo de la mysma cibdat », quam inter documenta a Caesareo Fernández Duro in « Memorias históricas de la ciudad de Zamora » (t. I, p. 465-473) comprehensam cum praedicto loco confert.

Quid autem utroque loco in Libro de Praeconiis Hispaniae et in Libro de Praeconiis ciuitatis numantinae dicitur? In hoc, tanquam hominum et temporum definitione sublata, quid « uassallis » domini, quid dominis « uassalli » debeant exponitur; in illo de facto agitur, factum narratur, quod ad Zamoram magis erat momenti quam ut praetermittere uellet illud Zamorensis ille historicus cum librum ad laudem Numantiae patriae suae spectantem constitueret, si iam illud in libro totius Hispaniae bona extollente memorasset. Immo in hoc optari et suaderi, in illo laudari et pronuntiari illud pactum plane apparet.

Nisi autem illa sufficiunt ad demonstrandum quo ordine uterque liber confectus sit, haec adhiberi possunt. Nam id animaduertendum est quod in Libro de Praeconiis ciuitatis numantinae nuntiatur (VII, 16): « Sed hoc inferius pertractabitur, deo duce, cum peruenerimus ad delfonsum regem dictum castum. » Eodem loco, in Libro de Praeconiis Hispaniae, neque in margine, sed in textu, inuenitur : « sed hoc superius fuit tactum in tractatu de illustrissimo regi aldefonso dicto casto ». Quod a Iohanne non a scriba uel lectore scriptum esse superioris sententiae loco ueresimile est, et librum in quo reperitur post alterum confectum esse comprobat, si quid in re tali potest comprobari.

Librum autem de Praeconiis ciuitatis numantinae quoddam apographon esse articuli de numantinis populis, auctum et aliquot locis sane mutatum,

illud manifestum facere uidetur quod sub finem partis II § 6 legitur « ut est superius in H littera praelibatum ». Haec uerba « in H littera » in codice academico expuncta sunt, ideoque forsitan Fita ea omiserit. Ex articulo de numantinis populis in quo solo conueniebant, cum ad litteram superiorem in eodem Libro Illustrium uirorum referrent, errore a Iohanne transcripta dum Librum de Praeconiis ciuitatis numantinae conficit, deinde in codice quidem academico erasa esse satis probabile est. Cum autem eodem loco, omisso tamen « superius », eadem habeat, pari modo Thesis nodosa e praedicto articulo extracta esse, nisi ipsa in Libro illustrium uirorum comprehensa fuerit, u. gr. sub uerbo « Zamorenses populi ».

Ceterum stemma illud quatuor ex parte similium librorum uel tractatuum certius constitui nec posse neque attinere uidetur. Unam esse materiam, formis aliquantum distinctis, quinquies repetitam, solum refert, ne quis ex eo, quod in libro laudato (t. I, c. I, p. 15) scripsit zamorensis Caesareus Fernández Duro et transcripsit Fita, colligat diuersa opera esse : « Enderezó á su regio educando la obra titulada De praeconiis, ó sea excelencias de España, donde naturalmente puso las que á su juicio enaltecian á Zamora; despues, en el Tractatus de Hispaniae impositione, en el Paralipomenon, en las Vidas de los santos zamoranos Ildefonso, Atilano, Baudelio, Cucufato, Domingo Yañez Sarracino, Fernando y otros, allegó noticias de la localidad, más circunstanciadas en los opúsculos especiales que tituló Thesis nodosa an Zamoram (sic) sit Numantia y Liber de praeconiis civitatis Numantiae quam (sic) edidit Fr. Ioannes Egidius doctor fratrum minorum Zamorensium. »

Neque in animo habeo quemquam reprehendere quod ignorauerit id ad quod noscendum maiorem laborem quam operae sane pretium erat insumpsi, neque illud declarare curauissem nisi semel quid in illis decantatis libris monachi zamorensis utile uel nouum esset, quod in illo quem publicauit Fita non contineretur, inquirere pro uirili parte cupiuissem. Iam tamen tractatum de Hispaniae impositione non aliud esse dicere possum quam titulum quem in prologo Libri de Praeconiis Hispaniae Iohannes primo tractatui in eodem libro comprehenso imposuit. Titulo autem Paralipomenon quid designare uoluerit Caesareus adhuc me latere fateor, nisi forte opus Iohannis gerundensis indicauit (de quo uide meum librum « Les Histoires générales d'Espagne », p. 47).

Vt animaduertit Fita (p. 200), Libro de Praeconiis ciuitatis numantinae annum apposuit scriptor : « ab incarnatione uero domini recurrente anno CC° LXXXII° fuere hyspanie reges LX nouem » (p. 178). Quod etiam in Libro de Praeconiis Hispaniae eodem loco legitur (ms. P., f. 91^{u}). Ex alia parte notauit id quod p. 146 inuenitur : « Recuperata fuit nihilominus hyspania per multos reges nobiles sibi inuicem succedentes usque ad regem Allephonsum in Regem Romanorum electum et illustrem Sancium filium eius qui iam eidem incipit coregnare sub anno Domini M° CC° LXXVIII°. » Quod etiam est in Libro de Praeconiis Hispaniae qui tamen MCCLXXVII habet pro MCCLXXVIII [1], et cum eo sane congruit codex academicus, in quo I ultimum expunctum est.

1. In margine « incip^{t} » non in textu est in codice P.

Vterque locus non est quaerendus in articulo de numantinis populis neque in Thesi nodosa, quae incipiunt post hunc et desinunt ante illum.

Contra autem quam Fita sentire uidetur non eos inter se congruere existimo cum in utroque praedicto manuscripto non « incepit » sed « incipit » legatur, quod de praesenti, non de praeterito intelligi potest. Vnde non annum, quo inceperat regnare Sancius, sed quo scribebat haec Iohannem exprimere noluisse apparet. Adde quod simile aliquid reperitur in extremo tractatu IV° (fol. 14 in cod. P): « deducendo a creatione mundi nationum hystorias usque ad regem nobilem Aldephonsum qui in regem romanorum electum ɛ illustrem infantem Sancium filium eius maiorem qui iam eidem incipit corregnare », ubi non annus notatus est, et « incipit » quoque, non « incepit » scriptum est.

Ceterum non potuit dicere Iohannes coepisse « patri corregnare » Sancium anno MCCLXXVII° uel MCCLXXVIII°. Nam anno MCCLXXV°, post mortem fratris maioris Fernandi de la Cerda (mense augusto) coepit ille audire « hijo mayor del rey, sucesor y heredero de estos reynos ». Quem titulum ei confirmauit pater anno sequenti in comitiis Segouiae institutis, neque ante mutata est ea condicio, quam anno MCCLXXXII° comitia, quae in urbe Valladolid gessit, « infante heredero y regente del reyno » eum elegerunt et iura omnia regalia ei contulerunt. Sed neque anno MCCLXXVII° neque anno MCCLXXVIII° euenit id propter quod « patri corregnare » Sancius coepisse iam tum dici potuerit. Quare est intellegendum Iohannem dicere eo anno (MCCLXXVII° uel MCCLXXVIII°), quo ipse scriberet, iam Sancium incipere, haud dudum quidem; etenim illo tempore secundum tertiumue annum, haud amplius, cum patre is in rebus publicis uersabatur.

Nec me fugit multis locis siue amanuenses siue Iohannem ipsum errauisse cum annos scriberent, et multa Fidelem Fita emendauisse. Cum autem hic non de praeteritis sed de praesentibus rebus ageretur, non potuit errare Iohannes: et non errauisse amanuenses hoc probat quod alio loco, in primo tractatu de rebus siue de Praeconiis Hispaniae idem annus MCCLXXVIII adscriptus est: « VI^{a} mixta usque in hodiernum diem sub era MCCCXVI sub anno domini M° CCLXXVIII° », ut legit Antonio in siruelano et legere possumus in parisino codice (folio 4 uerso).

Ergo duos annos in utroque opere suo ascripsit Iohannes, MCCLXXVII^{m} uel potius MCCLXXVIII^{m}, et MCCLXXXII^{m}. Quod non mirabile est, dummodo non eodem anno a principio ad extrema ambos libros, sed diuersis annis partes distinctas, quibus compositi sunt, elaborasse eum arbitremur. Quintus certe tractatus neque ante annum MCCXLVIII neque post annum MCCLXXXV compositus est, cum haec habeat de Ordonio Alvarez episcopo tusculano, addita loco satis amplo quem e prologo Lucae Tudensis sumpsit: « Dominus Ordonius episcopus tusculanus qui tam elegantia corporis quam modestia sermonis ɛ operis ɛ nobilitate sanguinis adhuc pollet » (fol. 46 codicis parisini). Nam anno MCCXLVIII cardinalis creatus est et anno MCCLXXXV mortuus est Ordonius ille Aluarez.

Cur tamen, ubi membra disiecta in unum corpus scriptor redegit, non correxerit, nequeo dicere.

Merito etiam mirabitur aliquis « in regem romanorum electum » Aldephonsum nominari a monacho zamorensi, cum Pontifex maximus iam anno MCCLXXV° sic appellari regem hispanum prohibuisset.

Praeterea non nihil est dubium in prologi initio quo nuncupatur Sancius. Nam ita incipit : « Serenissimo domino suo infanti Sanctio illustrissimi Aldefonsi regis Legionis ꝛ Castelle Tholeti ac Vandalie maiori filio ꝛ heredi ꝛ biscagie potentifico adeptori. » Quod aeque in Escorialensi cod. atque in eo quem apud Siruelam Antonio uidit, legitur. Fita quidem « Hispanie » proponit pro « Biscagie », cum anno MCCLXXXVIII° demum Biscayam, interfecto Lupo de Haro, Sancius subiecerit, nec cur antea meritus sit, ut illius prouinciae « adeptor » appellaretur, constet. Non uero magis constat cur meritus sit eodem tempore ut Hispaniae adeptor audiret. Restat ergo ut postea addita sint ea uerba de quibus agitur. Quod confirmat antiquissimus codex parisinus, qui tantum in margine « ꝛ Viscagie potentifico adeptori » habet.

Anno igitur MCCLXXXII° e manibus Iohannis egressum esse Librum de Praeconiis ciuitatis Numantinae et etiam Librum de Praeconiis Hispaniae recte existimauit Fita : uerumtamen ante quatuor uel quinque annos quam editum est iam inceptum fuisse addere oportet.

Quamquam, piget fateri monachum illum anno MCCLXXXII eos Sancio obtulisse et ea nuncupatione patrocinia illius ademisse qui contra patrem Aldephonsum Sapientem rebellionem nefarie iam fecisset.

§ II. Mare magnvm.

Md. — Ut cetera Iohannis Aegidii zamorensis opera noscamus, primum in promptu habemus codicem matritensem I-217 (nunc 2763, nobis autem Md). Quem et Alfredus Morel-Fatio amplius triginta annos abhinc ex parte iam exscripsit, et mihi anno MCMI° Burdigalae iterumque anno eodem Matriti licuit examinare. Errore Index a Gallardo editus eum notatum esse I-155 dicit (sub uoc. « Gil de Zamora » et « Zamora »). Praeter Librum de Praeconiis Hispaniae, ea continet quae saeculo xviii° Henrici Flórez causa extracta sunt ex alio codice a quodam patre Michaele Ordóñez anno MDCCVII° constituto, nunc autem deperdito; qui tantum ipse e septem tomis zamorensibus excerpta continebat. Haec enim declarat hispanice ille qui codicem Md exarauit, in folio praeposito :

« Las obras de fr. Iuan Gil de Zamora, celebre Franciscano, se hallan en siete tomos ò volumenes de pergamino, de à media piel, à modo de libros de coro, con los mismos errajes y encuadernacion. De estos siete volumenes (que se guardan en la libreria de los P. P. Franciscos de la ciudad de Zamora) huvo un P^e^ curioso, llamado Fr. Miguel Ordoñez, que se dedicò à hacer una copia de ellos, en el año de 1707 segun la Nota que pone en su copia al acabar de

escribir todas las vidas y historias de la letra A. en donde dice : « Fuit hic liber « transcriptus a fratre Michaele Ordoñez, de ordine fratrum Minorum et « provincie[1] S. Jacobi alumno, ejusdemque lectoris jubilato et ex custodio : « Burgensisque Sancte Provincie Padre. Cui quidem libro finem imposuit die « XX mensis Martii anni Domini MDCCVII. » Despues al fin de las Vidas de cada letra pone su nombre y firma. Hace tambien algunas notas ò advertencias latinas v. g. lo que deja de copiar por no haverle parecido cosa de substancia, ò por defecto del original &. Muchas de las cosas que dejò eran del assunto del P. M. Florez ; pero como no las copiò y solo puso nota de que lo dejaba, no se ha podido hacer aqui otra cosa que copiar la nota, para saber que lo hoy (hay) en los libros originales. El citado padre Ordoñez redujo los siete volúmenes originales à dos tomos de fol. regular en letra muy metida. Estos son los que vinieron a parar desde Zamora a Madrid a manos del P. Mtr̄o Florez que sacó orden del Rmo. P. General de S. Francisco Pedro Juanecio[2] Molina para que se los enviassen y dejassen copiar, como lo consiguió. Hallanse caracterizados los dos tomos con los numeros y letras de Z 8 el uno y Z 10 el otro. El methodo de la obra es alphabetico, y al principio de cada letra pone una oracion proemial muy devota. Despues se siguen los titulos de lo que ha de tratar, segun aqui van : por ellos se puede hacer juicio del todo de la obra. Las obras que en esta copia se contienen son tres segun el orden siguiente.

1. (Fol. 1) Archivus sive Armarium scripturarum vel potius Mare magnum.

2. Liber illustrium personarum, qui est liber de Historia canonica et civili.

3. De Preconiis Hispanie ».

Sequuntur coniecturae eiusdem qui hoc apographon Patri Flórez exarauit : quibus in loco utemur.

Adde quod in extremo codice legitur hoc : « copiaronse estas obras para uso del Rmo Florez. M. N. D. Z. », et in extremo Libro Illustrium personarum illud : « copiose esta obra para uso del Rmo Florez M. N. D. Z. ». Quicquid autem scriba ille florezianus de suo notet facile discerni animaduertendum est, cum ipse hispanice semper scribat, Ordóñez autem latine.

Illud igitur ex apographo ab Ordóñez confecto pendens apographon in manibus sine dubio Flórez habuit cum de Martyribus ledesmensibus dissereret (España sagrada, t. XIV, IIa ed. p. 307 et 405) et Librum Illustrium personarum sub. uoc. « Numantini populi » (eodem tomo, p. 340) laudabat.

Ceterum Flórez de apographo Passionis martyrum ledesmensium quod detinebat ita loquitur ut aliquis eum ledesmense et escorialense apographa quaedam totum opus Iohannis continentia indicare uoluisse existimaret, nisi per Iohannem de S. Antonio in escorialensi Bibliotheca certior fieret eo tempore iam exstitisse : « Vitam S. Nicolai martyris in oppido de Ledesma seu metissae. Habetur in Regia Bibliotheca Scorialis II. D. 5. », quam uidisse se ait et sic incipere : « Nicolaus genitus fuit... ». Ergo de apographo illius passionis tantum agit Flórez cum dicit : « ... las obras de Fr. Juan Gil, que

1. Pro ae solet scribi e in hoc codice Md ; ego autem scribo *e*.
2. Haec duo nomina postea scripta sunt.

existen en Zamora, de las quales tiene Ledesma la copia mencionada por Marieta (lib. 2. cap. 96); y de alli vino al Escorial la que hoy mantiene, y algunos citan, siendo el tronco y original de todas el manuscrito que se guarda en Zamora, de quien está sacada la copia que yo tengo. »

In apographo autem ordonieziano praeter Librum de Praeconiis Hispaniae duo opera Iohannis, ut iam uidimus, comprehensa erant : primum Historia naturalis canonica et ciuilis quae et Armarium scripturarum et Archiuus et etiam Mare magnum, secundum Liber Illustrium personarum, qui et Liber de Historia canonica et ciuili nominatur. Nam ut uidebimus, illis quinque titulis duo tantum opera denominantur.

Historia natvralis, canonica et civilis, sive archivvs sive armarivm scriptvrarvm, sive mare magnvm. — E primo opere, quod breuitatis causa Archiuus a nobis designabitur, in ms. Md nihil nisi excerpta breuissima continentur a folio 1 ad folium 5 uersum.

Librarius hispanice lectorem monet litteras A et B deficere in ms. ordonieziano nec cur deficerent expressum esse : « En el ms. por donde se hace esta copia falta por entero la letra A y B sin advertir nada como suele otras veces. » Etenim hoc est initium : « Tertius tractatus libri cujus titulus est Armarium scripturarum cum omnibus notabilibus que incipiunt à litera C compilatus à fratre Ioanne Egidii Zamorense. » Incipiunt ergo a littera C excerpta illius libri in quo glossariorum modo in litteram digesta uocabula multa erant, quorum unum quidque erat titulus alicuius capituli, quod gallice « article » dicitur. Sed tantum tituli sine capitulis suis praeter duos inueniuntur in codice Md. Sequitur oratio a littera C etiam incipiens « Clementissime domine nolli abscondere faciem tuam a me &c », quam scriba in Md non transcripsit, et : « aqui pone a la letra el mismo prologo que en la Historia canonica y civil » : quae nota simili forma repetitur ad singulas « orationes proemiales » quae reliquis singulis litteris praepositae sunt. Postea haec : « Tituli autem huius tertii Libri de Historia naturali ĉanonica et civili in libro cujus titulus est Armarium scripturarum sunt hujuscemodi qui sequuntur :

Cabalorum proprietates
Cacumdilion
Caderos triticum Romanum
Calamentum herba est
Caloe
Calcatar
Calcantum
Calcedonius est lapis
Calcis siv[e] Calx est lapis adustus Calculus est lapillus terre mixtus
Caldea est Provincia
Calixtus multiplex
Calvaria est anterior pars Cranei
Calvicies est privatio capillorum. »

Et sic prosequuntur tituli CLXVIII.

In archetypo quidem uerisimile iam nunc est et comprobabitur postea aliquot inter illos titulos capitula sua ipsos constituisse, exempli gratia : « Calculus est lapillus terrae mixtus », « Caluaria est anterior pars Cranei » ; plerosque autem, exempli gratia « Calixtus multiplex », habuisse sua capitula, quae non transcripserit scriba florezianus. Nam interdum post titulum additum est (ab Ordóñez uidelicet) : « nil dicit » Exempli gratia : « December mensis nihil dicitur... Decorantia corpus humanum nil dicit... Delbora propheta nil dicit... Deo datus Pap. nil dicit... Dorius fluvius nihil de eo ponit hic auctor... Ebur nil dicit... Enothe vacat... Equinoctium vacat... Esicius vacat... » etc. Ergo tituli quibus non subiecta est illiusmodi nota, articulos suos habebant. Eorum certe aliquot defuisse in apographo Ordonieziano demonstrat id quod notatum est hispanice (a scriba floreziano uidelicet) ad titulum « Colimbria civitas » : « no hay nada en la materia. »

Ceterum in archetypo zamorensi titulos continua serie primum uelut in quodam summario uel indice, deinde capitula cum suis titulis repetitis ex ordine collocata fuisse ex ea intellegitur nota quae post titulum « Copre eremita » posita latine (ab Ordóñez uidelicet) nos admonet : « In principio hujus tomi deficit unum folium integrum injuria temporum, vel quod verius est incuria nostra, in quo ut colligitur positi erant alii tituli secuti ad precedentes et etiam aliqua de caballorum proprietatibus de quibus primo agit auctor et prosequitur in forma sequenti : Relicto hoc loco ut si in S^to^ Isidoro quem citat invenerimus materiam prehabitam hic eam possimus transcribere. » Nota autem eum dicere : « in principio... unum folium », quod non praecipue de primo folio sed de folio sequentia post uocabulum « Copre eremita » continente intelligendum est. Deperdito ergo folio uno cum non inueniret initium capituli de Caballorum proprietatibus (cuius titulus in serie primus erat) interuallum Ordóñez reliquerat, ut postea transcriberet locum ex Isidoro[1]. Scriba uero florezianus nihil ex extremo articulo ab Ordóñez nuntiato retulit. Nam statim articulos « Cantabria » et « Cantabrum », id est quod Patri Flórez utile fore existimabat, et ex hoc quidem tantum aliquot uerba exscripsit, adiecitque « & c ».

Deinde haec leguntur : « Al poner el titulo de Celorum distinctiones et proprietates dice : queratur supra in Astrologia, in primo libro hujus operis. Ahora se ve claro que el libro que cita de Astrologia era ó estaba en la letra A de este Armarium. El segundo libro abrazaba la letra B. que tambien falta, y el tercero es el presente de la C. » Etenim notat etiam scriba florezianus qui illa hispanice addidit : « al fin de la C dice Explicit 3us liber. » Quod cum eo quod initio eiusdem litterae inuenitur congruit.

In singulas igitur litteras huius glossarii, quod nunc gallice dicatur « encyclopédie » libri distributi erant. Ceterum etiam librum nominat siue Iohannes siue Ordóñez id quod alias capitulum, nos autem articulum. Nam sub titulum « Climatum diuisiones » legitur : « Requirantur supra in libro de Astrologia ». De articulo Astrologia procul dubio agitur, ad quem, ut uisum est in nota superiori iam lector reiectus est.

1. Libro XII° Etymologiarum (ed. Migne, n° 41-56.).

Litterae D (libro IV°) latina duplex nota ab Ordóñez praeposita est : « Post meditationem proemialem que est eadem que ponitur ad librum 4um illustrium personarum Incipiunt tituli 4^i^ libri Historie Naturalis, Canonice et Civilis, seu libri cujus epigrama est Armarium Scripturarum, vel potius Mare Magnum. Notandum pro clariori et breviori intelligentia quod tituli qui hoc signo + notabuntur eo erit quia legende eorum manent jam posite in libro Illustrium Personarum, et ex alliis, solum eorum legendas transcribemus que nostro institutui utiliora viderimus et que transcribentur ita notabuntur ». Quam notam ab Ordóñez additam esse nos monet alia : « son notas del P. Ordoñez ». Sed amanuensis florezianus nihil praeter titulos exscripsit, quibus subiecit : « Expliciunt tituli ». Nullus enim articulus Patris Flórez intererat.

In littera E, post titulos, breues articuli de Emerita et Era inueniuntur in Md, addito hoc : « al fin de la letra E dice : Extrema unctio requiratur in tractatu de Sacramentis in S litera. Explicit liber V historie naturalis canonice ac civilis. Incipit V librum (sed hec[1] tantum reperitur, et tituli ad pedem quorum citat Auctor allia plura opera que scripsit per hec uerba) Si quis habere plura voluerit de notabilibus incipientibus ab hac litera F requirat tractatus nostros generales et speciales : de animalibus, de auibus, de arboribus, de piscibus, de aquis, de scientiis, de coloribus, de odoribus, de saporibus, de sensibus et eorum objectis, de musicis instrumentis, de ponderibus et mensuris, de lapidibus, de metalis, de electuariis, de emplaustris, de pilulis, de unguentis, de infirmitatis signis curis et confectionibus. In quibus omnibus multa invenientur que incipiunt ab hac litera F de quibus absque preludio sententie melioris aliqua diserentur secundum dicta et sententias sapientum. [Sed in hoc opere Historie Naturalis nihil reperitur sub litera F sicut nec in literis sequentibus alphabeti, usque ad literam X. Unde a sexto inclusive usque ad XXI^um^ exclusive quindecim libros deficere inveniuntur.] »

Id quod uncis inclusi ab Ordóñez ipso additum esse satis apparet. Continuo igitur XXI^us^ liber sequitur siue littera X, sed hoc solum in Md inuenitur : « Liber XXI^us^ Historie Naturalis cujus tituli sunt : Xerses Rex, Xptina virgo, Xptophorus Martyr, Xptus Dominus, qui etiam continentur in Historia illustrium personarum. Omituntur nunc de primo et 2do quia ibi jam est actum de 2^a^ Xptina nempe quia non est oportunitas temporis pro nunc. De Xpto quia ibi aliquid dictum est et quod hi refertur reperietur jam dictum et valde late ubi de Iesu agitur in litera I quare à XXII^um^ librum transitum facimus. »

Deinde liber XXII^us^ siue littera Y cum titulis quorum aliquot signo + notati sunt, quo monemur transcriptos fuisse ab Ordóñez eorum articulos; uerum unus in Md reperitur id est Yberus fluuius, e quo solo Flórez aliquid utilitatis carpere sane poterat. Ceterum non totus relatus fuerat nam post primam sententiam legitur hoc : « Que sequuntur sunt Hispanie laudes que jam alibi sunt posite. »

Liber denique XXIII (littera Z). Cuius nullus articulus, sed tantum tituli post « Orationem proemialem » in Md translati sunt cum hac nota : « Al fin de la Historia de Zorobabel, que es la ultima que pone en la Z dice : que sequuntur

1. Sic.

perierunt, pereuntibus etiam aliquibus foliis. » Tempore igitur Michaelis Ordóñez quem haec extrema liquet notauisse, iam deficiebant ultima folia Archiui.

Sequitur « Explicit liber cujus titulus est Archivus seu Armarium scripturarum, vel potius Mare Magnum, eo quod ibi Naturalia, Sermocinalia, Moralia, Canonica et Civilia continentur, editus a fratre Iuanne Egidii de ordine beatissimi Francisci signiferi Jesu Christi, natione Hispanus, Regno Legionensis, civitate Zamorensis (et minusculis literis que vix possunt legi, videtur dicere) Provincie Sancti Jacobi Custodie, Zamorensis filius et custode. » Haec ultima uerba in ms. Zamorensi manu posteriori uel certe alia; ea autem quae hic, ut in codice Md, uncis inclusa sunt, ab Ordóñez, cetera ab Iohanne uix dubium est adiecta esse.

Quomodo expediamus quare haec rima medio opere relicta sit? Desideratur quidem littera G sequentesque usque ad litteram X; litterae autem F et X breuiter tractatae sunt, et ad alios libros reicitur lector, uel : « non est, dicitur, oportunitas temporis pro nunc. » Reseruauitne illas partes Iohannes in aliud tempus? Ita esse crediderim, nam si tantae rimae librorum condicione exstitissent, quos in manibus habuit Ordóñez, nonne id ille declarasset sicut hoc etiam loco ad litteram Z, et inferius, ut uidebimus, ad Librum Illustrium personarum declarauit?

« Armarium seu Archiuium scripturarum » cum citat Iohannes de San Antonio addit : « cujus operis, ni fallor, unicè adest tomus secundus in laudata Bibliotheca Zamorensi ». Deesse igitur litteras A et B ob hanc causam in ms. ordonieziano obuium est existimare, quod tomus uel tomi zamorenses, ubi essent illae litterae, iam tempore Michaelis Ordóñez deperditi essent. Quos exstitisse probare uidetur nota latina quae lectorem e littera C eiusdem operis ad articulum de astrologia (uide supra p. 38) et e littera A libri Illustrium personarum ad eandem litteram Archiui (uide infra) remittit. Litteras autem G-V Michaelem Ordóñez non inuenisse constat. Sed mox eam rem nitemur magis explanare ubi de Libro Illustrium personarum egerimus. Nunc satis erit dicere ad litteras K, M, R, S reici lectorem : « Castanea requiratur in litera K... Defunctorum memoria requiratur in M litera... Crantur (?) in R litera... Eucharistia requiratur in S litera. » Quae utrum reipsa composita sint an componere cogitauerit auctor, non certum est. Ceterum aeque atque Iohannes lectores illis uerbis remittere potuit Ordóñez.

Iam uero apparet quantum errauerit Lucas Wadding cum in Annalibus minorum (t. II, p. 222) diceret in Archiuio omnium scripturarum « quidquid est eruditionis Ecclesiasticae » ad praecipua capita reduxisse Iohannem.

LIBER ILLVSTRIVM PERSONARVM QVI ET HISTORIA CANONICA ET CIVILIS. — Ad nostrum propositum magis pertinet liber Illustrium personarum, qui in ms. Md a folio 6 usque ad 219um id est pene ter et quadragies tanto longior quam Archiuus extenditur. Ita incipit, ut ex eodem codice deprehenditur :

« Io Aegidii Zamorensis liber illustrium personarum qui et Historie canonice et civilis.

» Incipit prologus, in librum illustrium personarum, videlicet patriarcharum, prophetarum, apostolorum et evangelistarum, martyrum et confessorum, virginum et viduarum et aliarum sanctarum personarum et etiam famosarum, editus a fratre Ioanne Egidii, de ordine fratrum Minorum, juxta ordinem alphabeti.

» Post ordinationem Historie naturalis et ecclesiastice ac civilis quam digesi [Beatissimi Patris nostri Francisci meritis[1]], in libro quem intitulavi Archivum seu Armarium Scripturarum vel potius Mare Magnum, eo quod ibidem fere omnia sermocinalia, naturalia, ecclesiastica et moralia et civilia ordinavi, secundum ordinem alphabeti allectus et atractus sum; propter pauperum fratrum inopiam[2] sullevandam. Virorum illustrium et sanctorum historias exemplares presse ac precisse tradere auxiliis[3] supplicantium secundum memoratum ordinem alphabeti. Sicut enim pictores naturam suo artificio imitantes, colores coloribus [permiscentes], visibiles corporum depingunt imagines et animalia et arbores et reges et milites et rusticos et barbaros et pugnas et rixas et torrentes sanguinum [et lanceas et loricas et scuta et galleas et sedem regalem et imperatorem sedentem et baruarum subditum et gladium acutum et fluvios decurrentes et campos variis floribus adornatos] et omnia que vident in natura per artificium imitantes [et] admirabilem ex hoc historiam intuentibus prestant; ita et ego velut alter pictor et utinam bonus pictor, virtutis et malitie nunc exemplariter describere cogitaui. Pecatorem delinquentem, nunc justum penitentem nunc stantem, nunc sedentem, nunc uincentem, nunc sucumbentem, nunc cadentem, nunc etiam resurgentem ad confutationem errantium ad informationem incipientium, ad inflamationem proficientium [ad contemplationem seu degustationem nihilominus perfectorum et alleviationem predicatorum].

» Hic invenient predicatores et doctores exempla manu ductiva et atractiva quibus reducant populos et subjectos ad suos ierarchas infimos sed principes et prelatos et Jerarchas infimos ad supremos, scilicet angelos, secundum ordinem graduum[4] et [etiam] dignitatum[5], ut tandem ad unum jerarcham jerarcharum, qui est finis et principium omnis rei, Alpha et omega omnia reducantur. Presens autem opus agrediens, ut sarmenta cum Apostolo coligam, quibus meipsum et alios calefaciam: a serpente cum Apostolo non dubito me morderi: sed quemadmodum non est lesus Apostolus a serpente, sic nec ego morsibus detrahentium damnum aliquod incurre[6] pertimesco[7]; licet enim animalis homo non percipiat que Dei sunt, propter animalem tamen multorum invidiam, ab incepto, ob multorum utilitatem proposito non desistam... Accedentes ergo ad prefatum librum qui est quasi quoddam concilium seu

1. Ea quae uncis inclusi deficiunt in apographo MPe (de quo uide p. 12, 30, 48); quae autem in eodem aliter leguntur hic ima pagina notantur.
2. pauperiem fratrum et inopiam.
3. exemplares personas precisse tradere auribus.
4. gradum ordinem.
5. dignitate.
6. Sic in Md.
7. Hactenus MPe.

capitulum generale quod in cordibus sapientium exemplariter celebratur, incipiemus a personis notabilibus et in nominatis, que incipiunt ab A prima vocali et prima litera in ordine alphabeti et subscribemus nomina personarum notabilium juxta ordinem quo prima vocalis consonantibus conjungitur et cum eisdem in acie ordinatur. Incipiemus ergo nunc duce rege glorie, ab A prout ordinatur cum A deinde cum B, deinde cum C quousque perveniamus ad Z, que est ultima litera in ordine alphabeti. Incipientes ergo in Aaron, ipsius genealogiam usque ad obitum Aaron omnia breviter perstringemus, adjuvante virga Aaron, scilicet virgine gloriosa. Ut autem facilius in tanta rerum varietate, que quesierit lector, inveniat, singulis subsequentibus per ordinem capituli digestis, titulos adnotavimus, quibus quasi quibusdam clavibus intellectus ad sequentia refertur et omnia confusione remota, lectoris animus tanquam stellis, intus lucentibus, illustretur. »

Ad litteram ergo tanquam in Archiuo etiam digessit rem Iohannes, exempli causa in littera A ab Aaron ad Azariam, non tamen ita ut Alaricus non ueniat ante Alardum uel Alexius ante Alexandrum.

In ms. Md non dicitur praecesseritne in eadem littera « Oratio » siue « Meditatio proemialis » ; sed post « Explicit prologus » continuo legitur: « Incipiunt tituli libri illustrium personarum ab A litera incipientium. » Primos quidem quales in Md exsistunt, ut reliquum opus ita cognoscatur, transcribere libet :

« Aaron sacerdos magnus.
Abachuc, propheta.
Abdias, propheta.
Abdon et senes.
Abel, filius Ade.
Abraahan, patriarcha.
Absalon, Abimelech, Acab et Acaz requirantur in libro cuius titulus est: Archiuum seu Armarium.
Acisdus et Victoria.
Adam Duplex (unum tantum ponit[1]).
Adrianus multiplex.
Aduentus Cristi in carnem. Requitarur in libro de Iesu in litera I.
Adulphus. (Non posuit). »

Titulorum indici haec uerba subiecta sunt : « Si quis plura voluerit legere de notabilibus, naturalibus et ecclesiasticis ab A litera incipientibus, requirat in alio nostro libro, qui ut dictum est, Archivus intitulatur, id est Armarium Scripturarum vel potius Mare magnum, eo quod ibidem omnia naturalia sermocinalia et ecclesiastica et civilia continentur secundum ordinem alphabeti. Expliciunt tituli. Incipit tractatus ejusdem libri videlicet illustrium personarum. »

1. Inter uncos scripsi id quod ab Ordóñez additum esse patet.

Sequuntur articuli ipsi, qui in Md etsi pauci (XX e LXV) translati sunt, ad XC folia obtinent, id est usque folium 103um. Hi autem sunt tituli quorum articuli in Md inueniuntur : Aaron, Abachuc, Abdias, Abdon, Abel, Abraham, Acisdus et Victoria, Alani populi, Alaricus rex, Aldephonsus multiplex, Almanzor rex Arabum, Almanzor Hyssem, Antonius multiplex (de Padua, Segobiensis, Santarenensis), Antoninus martyr, Atanaricus rex, Athaulphus rex, Atila rex, Avenroix philosophus, Azarias et Ananias ».

Articulus qui inscriptus est Aldephonsus a folio 24^{u} ad 78^{u} extenditur et multos Aldephonsos comprehendit, quorum uitae sic incipiunt :

« Aldephonsus archiepiscopus Toletanus... — Aldephonsus secundus (nobis I) dictus Catholicus fuit filius Petri ducis Cantabrie... — Aldephonsus tercius (nobis II) dictus Castus fuit filius Regis Froyle seu Froylani... — Aldephonsus quartus (III) filius primi Ordonii regis... — Aldephonsus quintus (IV) filius secundi Ordonii regis... — Aldephonsus sextus (V) filius Beremudi Mali filii regis Ordonii... — Aldephonsus septimus (VI) filius fuit regis Fernandi monarche totius Hispanie... — Aldephonsus VIII (I) fuit rex Aragonum... — Aldephonsus nonus (VII) filius comitis Raymundi dictus processu temporis Rex Hispaniarum & postmodum Imperator... — Alphonsus decimus (I) filius comitis Henrici... — Aldephonsus undecimus (II) filius fuit Santii regis secundi Portugalie... — Aldephonsus duodecimus nobilis (VIII) rex Castelle... filius fuit desiderabilis Santii... — Aldephonsus decimus tertius (IX) fuit filius Regis Fernandi Regis Legionis... — Aldephonsus XIIII & rex Portugalie quintus (III) ... filius fuit Aldephonsi Regis Portugalie... — Aldephonsus XV (X) filius fuit primogenitus et heres nobilissimi Regis Ferrandi ». Hanc ultimam Vitam edidit Fita in « Boletín de la R. Acad. de la Historia », t. V, pp. 319-327.

Deinde legitur : « A fin de la historia de Azarias, Ananias y Mitael[1] (que es la ultima que pone en el orden alphabetico de la A) dice asi : ad votum itaque meum primo historiarum libro ad finem usque perducto : illi gratias redimus... » Et post laudationem Beatae Virginis : « Explicit primus liber Historie Canonice ac civilis, que vocatur Historia, sive Liber illustrium personarum edita a fratre Iuanne Eggidio Hispano, de ordine fratrum minorum. Quisquis cum Historia canonica et civili habere voluerit Historiam naturalem, requirat librum nostrum cujus titulus est : Archivus sive Armarium Scripturarum et ibidem inveniet omnia fere naturalia et scientialia, canonica et civilia, in contemplationem illius qui edidit universa... » Quod postea legebatur in ordonieziano apographo, scriba florezianus iam in folio, quod suo praeposuit, se rettulisse declarat, et ab ipso Ordóñez additum fuisse patet.

Littera B tantum a 103° ad 111um folium obtinet, praeposita « meditatione proemiali », cuius initium exempli gratia proponemus : « Incipit meditatio proemialis in II^{um} librum famosarum personarum notabilium a B litera incipientium. Bonum summum Deus Trinitas est siquit tetigi in libro de speculationibus prelatorum per creatorum bonorum investigationem ad

1. Sic.

increati boni cognitionem delectionem favitionem valeam pervenire; quoniam facilius devenitur in hec bona superius prelibata vi exempli quam vi argumenti quia exempla magis movent quam verba. Idcirco post descriptionem personarum et alliarum rerum ab A prima vocali exordium sumentium ad descriptiones aliarum rerum notabilium que a B incipiunt transitum faciemus... »

Post XXV titulos hoc inuenitur : « Si quis vero habere voluerit aut legere amplius de aliis illustribus personis, que in tan antiquis historiis continentur, requirat librum nostrum cujus titulus est : Archivus seu Armarium Scripturarum, ubi multa bella civilia poterit invenire. In hoc autem libro non nisi pauca studui agregare. »

In Md solus de Bamba articulus translatus est. Sed in ms. ordonieziano erant alii, uita saltem sanctae Brigidae, nam folio 111° dicitur : « al fin de la vida de Brigida que (es la ultima que pone en el orden alphabetico de la B) dice asi... ».

Operae pretium sane est transcribere clausulam litterae illius et initium sequentis « Explicit secundus liber famosarum personarum, qui est liber Historie Canonice ac[1] civilis, editus a fratre Iuanne Egidii de ordine fratrum Minorum, ad laudem et gloriam almiflui Iesu Christi, cui est honor et gloria per secula infinita. Amen. Quisquis autem plura scire voluerit de actibus canonicis et civilibus, requirat librum nostrum cujus titulus est : Archivus, sive Armarium scripturarum. Quidquid autem in hoc libro et in aliis a me minus bene dictum est vel insuficienter dictum, totum relinquo corrigendum consilio saniori. Si etiam alique contrarietates in opere reperte fuerint, sciant lectores quod secundum diversorum doctorum et historiographorum sententias contrarietas potest solvi. Vix enim a duobus uisa uel audita propter memorie labilitatem et varietatem eodem modo et eadem suputantur, et hoc in compendiosis operibus, quanto magis in opere sic difuso, pleno vigiliis et labore considerent detractores nostri quod libenter ipsorum adiutorium recipiemus etiam in unius facti scriptura, a se minus suficienter dicta et ipsam aliquatenus extoleremus. Sed certum est quod ea que consequi non valent despiciunt et nituntur alios reprehendere ut ipsi uideantur sapientes esse.

Hucusque Primus tomus

Esta ultima linea se entiende del Ms. original que se guarda en el convento de S. Francisco de la ciudad de Zamora.

Tomus 2us et 3us liber

Prologus Personarum illustrium a litera C incipientium ».

Prologus ille cuius initium solum in Archiuo sub eadem littera transcriptum est, totus hic in Md inuenitur, adscriptis etiam uerbis quae in Archiuo aliter legebantur.

1. Sic ac).

Articulos quos in litteris A et B habet Md. iam enumerauimus. Nunc quos in apographo ordonieziano transcriptos habeant reliquae litterae dicetur, e quadringentis quorum tituli (simplices aut multiplices) referuntur :

Cindasvindus rex (cum Recesvindo et Bamba), Cintila, Cintilanus; — Damasius papa (primus), Dominicus abbas, Dominicus (« SS^mus Pater Noster »); — Egica rex, Emeterius et Celedonius, Emilianus, Ervigius rex, Eulalia multiplex (Emeritensis et Barchinonensis), Eusebius multiplex (presbyter et episcopus); — Fasila (sic) rex, Felix Sylanatus, Fernandus multiplex (I^us, II^us, III^us), Florianus papa, Froyla rex, Fulgencius episcopus; — Gisericus, Gothi gentes, Gontericus; — Henricus multiplex (VII^us et VIII^us), Hercules rex, Hunericus rex; — Iacobus major (Zebedei), Iacobus rex, Iusta et Rufina; — Karulus; — Laurentius martyr; Leovigillus; — Macumetus; — Nicolaus (ledesmensis), Numantini populi; — Pelagius multiplex (martyr et rex), Plinius historiographus; — Ranimirus multiplex (I^us, II^us, III^us), Recharedus, Rodericus rex; — Trajanus imperator, Tranzanzon; — Valia rex; — Vbertus confessor.

Iam qualis exsistat Liber Illustrium personarum in ms. Md. intellegi potest cum ex articulis quorum tituli supra enumerati sunt tum ex notis quae primis litteris in eodem adiectae sunt. Nunc igitur tantum haec referemus, quibus quo modo fuerit in tomos zamorenses liber ille Illustrium personarum distributus plenius ostenditur.

Nam initio litterae F duae notae adscriptae sunt : « Desde aqui empieza el tomo 2° » — « Notandum quod hujus tertii tomi magna pars quampluriium paginarum omnino legi nequit quia injuria temporum deleta invenitur et precipue aquarum que per membrana flexerunt (sic) et partim deleverunt, partim putrefieri fecerunt : quare quod poterimus transcribemus, quod vero legi nequiveris his punctis : : : annotabimus. »

In Extrema littera H : « Al fin de la letra H que trata de Hugni populi dice assi : Sequitur historia Humulonis, vel secundum alios Numulonis et Allodie martyrum ex territorio Berbetano juxta locum qui dicitur Castrobigeti in villa que ab Osca nuncupatur oportuniori tempore scribenda, qua finitur tertius tomus nostri sapientissimi Egidii. »

In Extrema littera I : « Despues de la vida de Justino segundo (que es la ultima que se pone en la I) dice : Iusti et pastoris historia sequitur (qua concluditur iste quartus tomus) sed quia nihil speciale aducitur, quod non reperiatur in eorum lectionibus, illam non transcribimus. »

In Extrema littera O : « al fin de la vida o historia de Osias que es la ultima en la letra O dice : hic finitur 5us tomus operum Egidii. »

In Extrema denique littera Z : « Al fin de la vida de Zacharias papa dice : « Sequebatur legenda populorum Zamorensium, sed preterquam quod est alibi positum quod de illa legitur, nempe ubi de Numantinis populis, reperiuntur pauca, quia plures deficiunt pagine, complectentes illam, simulque Historias que supra insinuantur in titulis vnde hic finitur totum opus Historie canonice et civilis, sive illustrium personarum quod terminat Egidius oratione sequenti.

Zelator animarum Deus filius almifluiⁱ... In libro siquidem illustrium personarum, qui est liber de Historia canonica et civili laudet te (Deum) specialiter creatura rationalis. In libro siquidem de Historia naturali laudet te creatura vegetabilis, sensibilis et insensibilis. In libro autem cujus titulus est : Archivus siue Armarium scripturarum laudet te omnis creatura universalis angelica videlicet et celica, elementalis et vegetabilis, sensibilis et rationalis. In prefato enim libro, qui est liber librorum Archivus scripturarum, continens omnes libros, omnis scientia et omnis creatura notabilis continetur universaliter ad magnificandum Deum summum et permagnificum, et...

Explicit XXIIIᵘˢ liber Historie canonice et civilis editus a fratre Iuanne Egidii de ordine fratrum Minorum natione Hispanus, de regno Legionensi et de civitate Zamorensi, que apud antiquos fuit Numantia appellata. In libro nostro Sermonum qui datur copiosus, ad omnem materiam et in libro Meditationum et Orationum plurima inueniantur que redunt commendabiles multas personas canonicas et civiles. Pro his omnibus mercedem expecto a Deo altissimo et eterno qui super vires inspiravit predicta opera inchoare cum multis vigiliis et etiam consumare.

Copiose esta obra para uso del Rᵐᵒ Florez.

M. N. D. Z. »

E notis quae siue latine siue hispanice textui Iohannis uel a Iohanne ipso, uel ab Ordóñez, uel a librario floreziano adscriptae sunt, haec deprehenduntur.

De apographo quod ab Ordóñez exaratum patre Flórez rogante e Zamora Matritum mandatum est, hoc certum iam comperimus, duobus tomis illud constitisse. Secundus a littera F Libri Illustrium personarum incipiebat, quae a folio 132 uerso codicis Md inuenitur. Archiuus autem initio primi tomi erat.

De Codicibus zamorensibus e quibus apographon suum Ordóñez extraxit, hoc primum nouimus, si non ab Iohanne ipso ea fuisse exarata, ita certe existimauisse Michaelem Ordóñez. Nam codex Md imo folio 93 uerso hanc notam habet : « Ad marginem ex sua litera dicit auctor : fuerat siquidem et ipse frater Antonius primo ex provincia Castelle, sed post translatus ad provinciam S. Jacobi. » Quae nota in Md manu eadem ac textus exarata et e codice ordoneziano solida transcripta est. Ergo hic habebat in manibus uel habere se existimabat codices ab Iohanne ipso exaratos.

Passim autem leguntur notae ex quibus plures articulos infectos et locum ad eos postea scribendos ab Iohanne ipso esse relictum intellegitur. Nam folio 95 recto legimus : « Non aliud de hoc Antonio hic dicitur ab auctore, nec aliud in hoc loco reperitur nisi caput in albo, forte ad transcribendum hujus historie finem, quod non fecit nec meminit finem hujus Antoni Santarenensis. » Et post articulum de Fernando IIIᵒ : « Hic desinit historiam noster Egidius reliquendo quasi dimidiam paginam ad prosequendum, quod hic non fecit. »

1. Haec oratio differt ab illa quae litterae Z in libro hoc et in Archiuo praeposita est. Ea concluditur totus Liber Illustrium personarum.

Ceterum paucos librarios sibi proposuisse ut tantam molem mouerent, nedum exscriberent, sane uerisimile est. Illos igitur tomos in quos distributa repperit Ordóñez opera Iohannis, Iohannem scripsisse sua manu existimare licet.

E notis uero quas supra transcripsimus, illorum tomorum zamorensium primo simul ac litterae B Libri illustrium personarum finem impositum esse, secundo simul ac litterae E (quacum etiam primus tomus ordoniezianus concludebatur), tertio simul ac litterae H, quarto simul ac litterae I, quinto simul ac litterae O uidimus. Librum illustrium personarum sex tomis inde certissime constat contentum fuisse. Quod maxime cum nota congruit quam praeposuit apographo suo florezianus librarius ubi dicit : « Lo que abraza cada tomo del original de Zamora es

1. tomo. A. B.
2. — C. D. E.
3. — F. G. H.
4. — I.
5. — K. L. M. N. O.
6. — P. Q. R. S. T. V. X. Y. Z. »

Sed utrum opus ita distributum fuerit, Archiuusne an Liber illustrium personarum non omnino ibidem dicitur. Non tamen dubitari potest quin de Libro Illustrium personarum agatur, cum id, quod hic dicitur, cum notis quae passim in codice Md leguntur, consentaneum sit.

Zamorae autem non amplius septem tomos tempore quidem Michaelis Ordóñez nos docet et illud quod initio apographi sui florezianus scriba, et illud quod inde sane doctus in « España Sagrada » (loco citato) Flórez exponit. Vnde uero id florezianus scriba didicerit, cum ipsum zamorenses illos tomos haud uidisse pateat? E notis certe Michaelis Ordóñez quas ille transcripsit, nihil deprehenditur. Forsitan ex eo quod Wadding ab aliis (nec quidem, ut uidebitur, sine errore), et ipse Antonio ab Hieronymo Román de la Higuera accepit, ac González Dávila, haud errore ipse carens, asserit, ita retulerit : nisi per litteras ad se e zamorensi monasterio cum apographo ordonieziano missas de ea re certior Flórez factus fuerit. Restat igitur ut, sex tomis Librum Illustrium personarum capientibus, reliquus continuerit Archiuum.

Verumtamen post articulum de Abraham, in Libro illustrium personarum, nota Iohannis legitur : « Historiam de Abimelech et Achaz huic operi propter brevitatem nolumus adnotare, sed requiratur in libro nostro cujus titulus est Archivus, sive Armarium scripturarum. » Cui subiecta est altera ab Ordóñez uidelicet : « idem debebat dicere auctor de historia Absalon, cujus nomen memorat in principio in indice alphabetico et hic ubi erat proprius locus nullam facit mencionem : videbimus si reperiatur predicto citato libro. Hic enim prosequitur ut sequitur. »

Sequitur reuera articulus de Accisdo.

Ita teste Iohanne Liber illustrium personarum breuior quam Archiuus erat, et ad hunc ex illo reicitur lector, tanquam ad principale opus. Adde quod si minus totus Archiuus, pars aliqua (liber primus saltem scilicet) tum confecta iam erat, cum Liber illustrium personarum constituebatur. Librarius denique, qui notam de Absalon adscripsit aut non in manibus Archiuum habebat, aut ille liber tam enorme erat ut articulum in eo perquirere magnum opus haberetur.

Septem autem tomis non potuisse capi omnia opera Iohannis mox apparebit. Numerosa certe nouerat Morales asseruari opera Iohannis in monasterio zamorensi : « tienen en la libreria todas las obras del Dr. Fr. Juan Gil de Zamora... son muchas... » Ideo nescio an, praeter septem illos tomos zamorenses tria tantum opera continentes, fuerint aliquando cum alii tum illi in quibus Archiui partes, nunc deficientes, collectae essent, et praecipue tomus primus Archiui ; qui, ut existimabat Iohannes de San Antonio, iam saeculi XVIII exigua parte exacta amissus erat. Cum Ordóñez ea excerpebat, quae per scribam florezianum nunc innotuerunt, forsitan periissent iam aliquot.

𝔐𝔓𝔢. — In Bibliothecae regiae Matritensis codice notato 2-M-6 et VII-A-5 (nobis MPe, de quo iam egimus, p. 12 et 30 et 41) exstant aliquot loci satis ampli e Libro illustrium personarum, ut uidetur, sumpti atque e zamorensibus codicibus forte, Laurentii Ramírez iussu, transcripti. Primus est « Prologus in Librum illustrium personarum videlicet patriarcharum, prophetarum, apostolum et evangelistarum martyrum et confessorum... » Incipit : « Post ordinationem » ; desinit : « incurrere pertimesco » ; cuius prologi iam textum contulimus cum eo quem e codice floreziano (Md) transcripsimus p. 41. Sequitur « meditatio proemialis » litterae B, ut in Md (p. 43). Tertio legitur « Vita B. Ildephonsi archiepiscopi toletani scripta per Fratrem Ioannem Aegidium ordinis minorum Zamorensium », undetriginta paginis contenta, et procul dubio ex articulo « Aldephonsus » extracta ; incipit « Aldephonsus fons eloquentiae, clarus et perspicuus... », desinit « scripsit autem et alia multa, quae variis rerum ac molestiarum occupationibus impeditus aliqua incepta, aliqua semiplena reliquit[1] Deo ipsum ad se vocante cui est honor et gloria per infinita saecula saeculorum. Amen ». Dein « Thesis nodosa », de qua iam p. 30 disserui. Quinto « Vita catholici Ferdinandi regis tertii Castellae scripta per R^{dum} Patrem fr. Ioannem Aegidium Zamorensem ordinis minorum », quam Fita in « Boletín de la R. Academia » edidit, t. V, p. 308-319, et de ea uide « Bulletin hispanique », t. XV, p. 25, nota 33*. Sexto « Vita Alphonsi IIX per R^{dum} Patrem, Fr. Aegidium scripta ; incipit « Aldefonsus octauus filius comitis Raymundi dictus rex Hispaniarum et postmodum imperator coepit regnare era 1146... » ; explicit : « Quumque Rex Sanctius, qui Beaciae remanserat haec sensisset relictis omnibus qui ultra montem de Muratal Christianitatis (sic) possidebat, ad funus patris velociter properavit et cum primate Ioanne, qui tunc aderat,

1. Cf. Vitam S. Ildefonsi a Iuliano scriptam, in « España sagrada », t. V, p. 464.

patrem suum duxit Toletum et ibidem in patriarchali ecclesia honorifice sepelivit et coepit regnare era 1197 », quod e Roderico Toletano sumptum est (lib. VII, c. IV et XII). Septimo denique « Vita Aldephonsi IX per Aegidium Minoritam elucidata » ; incipit : « Aldephonsus nobilis, qui congressus est proelium Ubetense filius fuit desiderabilis Sanctii, qui regnum Castellae rexerat desiderabiliter tantummodo uno anno et diebus duodecim... » ; explicit : « Et sicut in vita regnum virtutibus adimplevit, sic et in morte totam Hispaniam lacrimis madefecit : sepultus est in praedicto monasterio, ubi laudum eius praeconia nec invidia, nec oblivio poterit abolere », qui finis a Roderico (l. VIII, cap. XV) petitus est. Nota Aldephonsum imperatorem hic octauum, et Aldephonsum nobilem nonum computari, qui in ms. Md nonus et duodecimus, hodie autem septimus et octauus numerantur.

Mpf. — In Bibliotheca regia Matritensi aliud asseruatur apographon, paginis numeris haud signatis, notatum 2-J-5 et VII-J-5 cum hoc indice : « de la Biblioth^ca^ del Maior de Cuenca », et hoc titulo : « Fragmenta quaedam extracta ex operibus F. Ioannis Aegidii Camorensis ordinis Minorum. Iussu Domini Don Laurentii Ramires de Prado equitis ordinis S. Iacobi Philippo IV. Hisp. Regi Catholico à consiliis in Supremo et Regio Castellae, nec non in Sanctae Cruziatae adsessu senatoris apud Ludovicum XIII Galliarum regem christianissimum exlegati. Anno 1652... Ex domesticis tuis Bachalaureus Mattheus de Murga & Quevedo ».

Is Laurentius Ramírez de Prado, quem Philippus IV^{us} ad regem Ludouicum XIII^{um} legatum miserat et Olivares praecipue dilexit, non alius est quam ille cuius opera Iulianus Pérez Parisiis anno MDCXXVIII, et Luitprandus Antuerpiae anno MDCXL editus est[1].

Codex ille litteris ita compositis et aequalibus exaratus, ut arte « typographica » non manu scribae confectus uideatur, excerpta XIX capitula ex operibus Iohannis continet, notato tomo e quo extractum unumquodque est, exempli gratia : « frater Ioannes Aegidius Camorensis in Tertio Tomo suorum operum litera G S. Genesii martyrium describens ita ait : Genesium duplicem legimus, quorum alter Arelatensis extitit... »

Ne longum sit omnia capitulorum initia hic transcribere, ad compendium ita conferentur, ut uerba quibus indicatur unde extracta sint sola seruentur :

« In tertio suorum operum litera G S. Genesii martyrium... » — « ... In septimo suorum operum litera C martyrium S. Columbae virginis... » — « ... Tomo septimo suorum operum de Sancto Damaso... » — « ... Quinto tomo suorum operum, libro XI illustrium personarum litera L sancti Laurentii martyris passionem et miracula... » Ex eodem tomo, libro et littera extracta esse dicuntur capitula de Sancta Leocadia, Leouigildo, et Origine laetaniarum. — « ... Lib. XII illustrium personarum tomo V suorum operum

1. Vide Godoy Alcántara, « Historia crítica de los falsos cronicones » (Madrid, 1868), p. 219, 230 232, 282 ; et praecipue « Vida de D. Nicolas Antonio escrita por D. Gregorio Mayans i Siscar » § 58 et 59, in editione, quam curauit idem Gregorius, operis Nicolai « Censura de las historias fabulosas ».

lit M S. Marcialis historiam... » Ex eodem tomo et littera dicuntur esse extracta capitula de Mahometo, S. Mamete, Marco Antonio et S. Michaele, sed e XIII° pro XII° libro haec tria ... — « ... dicto libro XIII illustrium personarum lit. N Neronis imper. historiam... » Ex eodem libro capitula de Nerua, et Sancto Nicolao. — « ... Secundo tomo suorum operum litera D. Dentium proprietates... » — « ... ubi supra de Longino centurione... » — « ... libro XV illustrium personarum litera P tomo V suorum operum Pilati originem et poenam... » — « ... lib. XX illust. pers. tomo VI lit. V Virginis cuiusdam Antioquiae historiam... »

Nunc illam distributionem quam ex ramireziano codice colligimus cum ea comparanda est quam e ms. floreziano Md comperimus, uncis includendo ea quae nos conicimus, nihil demonstrante Matthaeo aut scriba floreziano :

I.	A. B.		
II.	C. D. E.	Liber illust. pers.	D. (Arch.) L. (Arch. uel Illust. p.)
III.	F. G. H.		G. (Illust. pers.)
IV.	I.		
V.	K. L. M. N. O.		L. M. N. P. (Illust. pers.) L. (Arch.)
VI.	P. Q. R. S. T. V. X. Y. Z.		V. (Illust. pers).
VII.	(Archiuus, nisi in t. I fuerit cum A. B. Illust. pers.)		C. D. (Illust. pers. uel Arch.)
	E codice Md.		E codice Mpf.

Vt saepius ex iisdem tomis eadem uterque librarius, ita ex altero alter tomo quater excerpsit. At dum in V° pro VI° tomo fuisse articulum de Pilato indicat, potuit errare Matthaeus, sicut sane errauit libro XIII litteram M ter aeque ac litteram N attribuendo, postquam bis hanc XII° recte attribuerat. Quoniam autem in Archiuo aeque atque in Libro illustrium personarum leguntur articuli de S. Columba et Damaso, et tomum VII^{um} illum in quo erat ea pars Archiui potuit nominare idem Matthaeus (nam in quo esset tomo Archiuus scriba florezianus non dicit), non ita mirum est e septimo illos articulos sumptos esse declarari. Sed quod in « secundo tomo suorum operum littera D » articulum de Dentium proprietatibus inuenit, non omnino cum notis patris Ordóñez a scriba floreziano transmissis congruit. Quare nescio an tomo II° in quo littera D Libri illustrium personarum tomum in quo littera D Archiui inueniebat, quadam perturbatione imprudens non discreuerit. Litteram denique L, dum « ubi supra » dicit, dubito an ad quintum librum iam antea citatum, non ad secundum, lectorem remittere cogitauerit.

Equidem illa exposui non ut ea disceptarem, sed ut iudicet lector. Vtrum ter quaterue ualde errauerit tam diligentis manus scriba, an ex manuscriptis aliis libris atque Ordóñez excerpserit ea quae Laurentio Ramírez obtulit, mihi non liquet.

Capitula uero haec sunt quae in codicem ramirezianum, non in florezianum, translata sunt :

Tituli in codice Mpf.	Tituli in codice Md.
S. Genesii martyrium...	Genesius
S. Columbae virginis martyrium...	Columba V... et M...
S. Leocadiae virginis martyrium...	Leocadia virgo
(Laetaniarum originem)...	
S. Marcialis historiam...	Marcialis
S. Mametis martyrium...	Mammes M.
de Marco Antonio imperatore...	Marcus Antoninus imperator
S. Michaelis archangeli magnalia...	Michael archangelus
Neronis imper. Historiam...	Nero imperator
de Nerva imperatore...	Nerva imperator
(Dentium proprietates)...	
de Longino Centurione...	Longinus miles
Pilati originem...	Pilatus rex
Virginis cuiusdam antioquiae historiam...	Virgo antiochie

Mpg. — In codice XXXIX foliorum XVII° saeculo exarato qui in Bibliotheca regali matritensi hac nota 2–J–5 et VII–J–5 (uide p. 22) asseruatur[1] et eius primo folio adscriptum est « de la biblioth^a del coll° mayor de Cuenca » leguntur excerpta aliqua ex operibus Iohannis ita incipiunt : « Egidius Zamorensis primus tomus suorum operum. Litera A. Alaricii Regis historiam his refert verbis... » — « Idem Egidius ubi supra de Algacer philosopho uita scribit... » — « Idem Egidius Dict. 1 tom. lit. A. de Apele Heremita ita scribit... » — « Idem Egidius ubi supra de Avicena ita affatur... » — « Idem Egidius Dict. 1 tom. lit. B. Bambae regis historiam ita refert... » — « Idem Egidius Dict. primo tomo lit. B. Brandani Eremitae historiam... »

Quod e primo tomo extracta esse illa significantur, cum eo quod in cod. floreziano declaratur congruit. Inter autem ea capitula, haec non in floreziano inueniuntur.

Tituli in codice Mpg.	Tituli in codice Md.
de Algacer philosopho	Algarel (sic) philosophus
de Apele eremita	Apelles eremita
de Avicena	Avicena philosophus
Brandani Eremitae historiam...	Brandanus eremita

Nunc uero de titulis utriusque operis in codice Md cum libro de Praeconiis Hispaniae (qui a 220° ad 311um folium ut dictum est p. 22 obtinet) contenti loqui iam tempus est.

1. Eadem uidelicet ac superior. Nihil enim aliud in illius Bibliothecae libris hactenus indicatur quam « sala » (exedra), et « estante » (repositorium) et « pluteo » (loculamenta) in quibus collocatus unusquisque est.

Primum quomodo Liber illustrium personarum, Liber famosarum personarum, Liber de Viris illustribus, Historia denique canonica et ciuilis unum et idem opus sit expediamus. Ne quis autem dubitet utrum ab ipso Iohanne an ab Ordóñez uel a quopiam librario ita denominatum sit opus cuius a 6^u usque 219um folium uersum in Md leguntur excerpta, tantum locis utemur quos ex Iohanne ipso pateat manare.

Quare non titulum ipsum huius operis qui folio 6° legitur proferemus : « Io. Aegidii Zamorensis liber illustrium personarum qui et Historiae canonicae et ciuilis ». Sed in extrema littera A legitur : « Explicit primus liber Historie canonice ac civilis, que vocatur Historia, sive Liber illustrium personarum edita a fratre Iuanne Eggidio Hispano, de ordine fratrum minorum. » (Vide supra p. 43.) Iohannem ipsum illam clausulam adiecisse probat id quod nostrum uerbum usurpatur paulo infra. In oratione qua concluditur idem opus (uide p. 46), quae sane a Iohanne, ut aduertit Ordóñez, composita est, dicitur : « In libro siquidem illustrium personarum qui est liber de Historia canonica et civili... » Clausula denique litterae Z post eandem orationem idem demonstrat : « Explicit XXIII^{us} liber Historie canonice et civilis editus a fratre Juanne Egidii... » (uide p. 46) ; quae clausula a Iohanne composita quoque est, nam etiam legitur : « in libro nostro Sermonum... »

Ita Librum illustrium personarum et Librum de Historia canonica et ciuili inscripsisse Iohannem unum opus constat. Titulus autem Liber famosarum personarum etiam de eodem opere usurpatur in « incipit » et in « explicit » litterae B, in prologo litterae C, etc. Liber uero de Viris illustribus nusquam in Md nisi in Libro de Praeconiis Hispaniae nominatur. Vbi legitur, folio 85 codicis parisini : « ...ut in libris nostris de uiris illustribus et in libro de mundi etatibus fuit dictum. » Eodem quidem loco in Libro de Praeconiis ciuitatis numantinae (Bol. de la Real Acad. de la Hist., t. V, p. 169) omissum est « et in libro de mundi etatibus. »

Neque unum et idem opus esse Librum de Mundi aetatibus siue de Etatibus et Librum de Viris illustribus satis demonstrat id quod dicitur in Libro de Praeconiis ciuitatis numantinae (p. 178) et in Libro de Praeconiis Hispaniae (folio 91 codicis parisini) « quales autem ex eis aliqui fuerunt liber noster de etatibus et de uiris illustribus manifestat », et in eodem libro folio 44 uerso, ut uidebimus, nam de Libro de Aetatibus infra agetur. Nunc iam tamen eam rem non mihi liquere fateor.

Librum uero quem hactenus Archiuum appellauimus, Armarium quoque scripturarum et Mare magnum inscriptum esse, e clausula eiusdem libri in codice Md (uide supra, p. 40) deprehenditur. Quem eundem esse atque Historiam naturalem canonicam (uel ecclesiasticam) et ciuilem minus apparet. Nam etsi cum e nota titulis litterae D (uide p. 39) ab Ordóñez sane praeposita, tum e litterae C (uide p. 37) et aliarum initiis quae utrum ab Ordóñez an ab Iohanne composita incertum est, illud colligi potest, tamen quoniam Ordóñez non nouisse principium operis uidetur, in errorem induci de eius titulo potuit : ideo in contrariam iret sententiam si quis magis ad id attenderet quod

in initio Libri de Praeconiis ciuitatis numantinae legitur: « In libro nostro cuius titulus est armarium scripturarum et in libris de hystoria naturali et canonica et ciuili iuxta inbecillitatem ingenii mihi satis disserui de naturalibus cononicis (sic in A) et ciuilibus que per antiquitates librorum deuenire in mei noticiam potuerunt. » (In « Boletín de la Real Acad. », t. V, p. 134). Verum quia ad Historiam quidem naturalem ecclesiasticam et ciuilem nusquam reicit lectorem Iohannes quin Archiuum seu Armarium scripturarum memoret, Archiuum autem seu Armarium scripturarum saepius citat sine Historiae naturalis canonicae (uel ecclesiasticae) et ciuilis mentione, in animum induco titulum operi suo Iohannem reuera inscripsisse Archiuum seu Armarium scripturarum seu Mare magnum : « In libro nostro cujus titulus est Archivus sive Armarium scripturarum... » (uide p. 47), « in libro quem intitulavi Archivum seu Armarium Scripturarum vel potius Mare Magnum » (in prologo Libri illustrium personarum, cf. p. 41), « in alio nostro libro qui ut dictum est Archivus intitulatur id est Armarium Scripturarum vel potius Mare magnum eo quod ibidem omnia naturalia sermocinalia et ecclesiastica et civilia continentur secundum ordinem alphabeti » (post titulos litterae A in Libro illustrium personarum, cf. p. 42). Nec tam fuisse titulus Historia naturalis canonica et ciuilis quam rerum tractatarum quaedam monstratio et distributio uidetur. De historia enim naturali canonica (siue ecclesiastica) et ciuili opus est; quod est inscriptum Archiuus siue Armarium scripturarum, quia, ut ait auctor: « in prefato libro, qui est liber librorum archivus scripturarum continens omnes libros omnis scientia et omnis creatura notabilis continetur... » Aliud autem epigramma sane est Mare magnum quod satis etiam « de omni re scibili » in eo agi uiuidius denotat: quae uerba nunc hispani solent usurpare ut significent aliquid magni et confusi[1].

Eo modo intellegi potest id quod in prologo Libri illustrium personarum dicit Iohannes: « Post ordinationem Historie naturalis et ecclesiastice ac civilis quam digesi... in libro quem intitulavi Archivum seu Armarium Scripturarum vel potius Mare magnum, eo quod ibidem fere omnia sermocinalia, naturalia, ecclesiastica et moralia et civilia ordinavi, secundum ordinem alphabeti » (uide supra, p. 41), et id quod folio 1 codicis Md legitur: « Tituli autem hujus tertii libri de Historia naturali canonica et civili in libro cujus titulus est Armarium Scripturarum sunt hujuscemodi qui sequuntur » (uide supra, p. 37). Similiter operi de historia canonica ac ciuili inscriptus est Liber illustrium personarum, ut indicat ipse Iohannes in extrema littera A eiusdem libri: « Explicit primus liber Historie canonice ac civilis que vocatur Historia sive Liber illustrium personarum. »

Nec potest non esse Archiuum illud opus cuius excerpta habemus in foliis quinque primis codicis Md, quanquam Ordóñez initium non repperit et de titulo potuit errare. Nam, ut ita dicam, faciem habet quam ipse Iohannes depingit in extrema littera A Libri illustrium personarum (uide p. 42) et in

1. « No volvió á dar á entender ni siquiera que sabía en que mare magnum andaba engolfado su tío » (Juan Valera, Doña Luz, XII).

extremo eodem libro (uide p. 46). Licet igitur Archiuus siue Armarium scripturarum siue Mare magnum discerni ab Historia naturali canonica et ciuili in Libro de Praeconiis ciuitatis Numantinae uideatur, idem opus esse, nullum testem nisi Iohannem ipsum producendo, probari posse censeo.

HISTORIA NATVRALIS. — Diuersa est ab Archiuo quaedam Historia naturalis quam bis simul atque illud opus Iohannes in Libro de Praeconiis Hispaniae citat (fol. 3 cod. P... « ...a galatis gallecia quinta prouintia hyspanie nomen accepit licet ab aliquibus alia causa eius nominis assignetur sicut in libro de naturali hystoria fuit dictum ⁊ in libro nostro cuius titulus est archiuus siue armarium scripturarum ⁊ in libro de etatibus mundi.. », et infra (folio 70) « de cartagine uero magna ⁊ aliis ciuitatibus tocius mundi ⁊ prouinciis sufficienter dictum fuit in libro nostro de hystoria naturali ⁊ in libro cuius titulus est armarium scripturarum. » Qui locus idem esse debet atque is quem citat Antonio (Bibl. hisp. uet. lib. IX, num. 17), truncando quidem et ad tractatum VI^{um} remittendo lectorem cum dicere deberet septimum immo octauum (uide supra, p. 20).

Illa opera Iohannem ipsum discernere patet non tantum in utroque loco relato sed etiam in extrema oratione Libri illustrium personarum (uide p. 46).

𝕰a. — Ceterum extat pars aliqua huius Historiae naturalis in codice escorialensi (P I 10) e pergamino, XIV° saeculo constituto LXXIII foliis, cum titulo « Liber naturalium per alphabetum editus a fratre iohanne egidii zamorensem » et hac meditatione siue proemio : « Incipit meditatio prohemialis in libros de historia naturali quos conpilauit frater iohannes egidii doctor fratrum minorum zamorensium secundum ordinem alphabeti absque preiuditio sententie melioris ex dictis philosophorum ⁊ Sanctorum ⁊ aliorum hominum sapientum[1]. » (fol. 2).

Illius operis iam supra uidimus (uide supra, p. 16) unum exemplar in Bibliotheca thoruniensi teste Petro Iaenichio Fabricium indicare.

Historia autem naturalis et Historia canonica et ciuilis operis unius, id est Archiui siue Historiae naturalis, canonicae et ciuilis, binae esse partes ita uidentur, ut ex hac extractae ab ipso Iohanne fuerint. Nam sic in prologo illius Historiae naturalis prosequitur (fol. 2 uerso) : « Verum quia hec uisibilia propter sui magnitudinem ⁊ multitudinem non possunt de facili apprehendi idcirco in hoc libro qui est de hystoria naturali siue de rerum naturis conpilaui creaturarum inuisibilium proprietates siue naturas secundum ordinem alphabeti quemadmodum feci in libro cuius titulus est archiuus siue armarium scripturarum ⁊ in libro de hystoria ciuili ubi tanguntur historie illustrium personarum. Hoc autem factum est ut quilibet in tanta rerum uarietate quod in sui contemplationem habere voluerit facilius ualeat inuenire. »

Eodem modo compositum est illud de rebus naturalibus opus atque Archiuus et Liber illustrium personarum :

« Tituli ergo creaturarum ab A. līā incipientium que sunt ipsis contemplantibus (fol. 3) prima scala de XX tribus scalis que inferius ordinantur sunt

1. Litteras quarum crebro signa locum tenent suppleui.

huiuscemodi que sequntur. In hac etiam scala prima continentur multi gradus ab a. lr̄a incipientes qui secundum ordinem uocalium ꝛ consonantium taliter ordinantur.

Abeston lapis preciosus est archadie.

Abies arbor est.

. . . .

Accidula est herba.

Accipiter est auis rapax.

. . . .

(fol. 3v) Appostematum cause signa ꝛ cure.

. . . .

Azurum color est.

Et prima scala sunt multi gradus quibus ꝛ per qualitates rerum ꝛ colores sapores ꝛ odores ꝛ potentias et uirtutes sapiens poterit altissimum contemplari. Si que defuerint requirantur in tractatibus generalibus de animalibus ꝛ de auibus et de arboribus et de piscibus ꝛ de metallis ꝛ de lapidibus ꝛ consi[mi]libus. Incipiamus igitur ipso duce ab abeston lapide ꝛ pro primo gradu sit ipse. De abesto Abeston est lapis pretiosus archadie, colorem ferreum habens... »

Folio 9 post articulum accidula legitur : « Expliciunt tituli : Incipit uero tractatus specialis de auibus ꝛ ceteris uolantibus ab a. litera incipientibus quem compilauit frater iohanes egidii doctor fratrum minorum zamorensium apud zamoram.

Accipiter. »

Cum articulo araneae post uerba « et iterum deducit transuersaliter de puncto ad punctum lineam » concluditur fragmentum in codice escorialensi.

Illum mutilum codicem eundem esse ac Librum proprietatum manifestum est, quem iam dixi (p. 13) in catalogo Bibliothecae oliuariensis fuisse, namque eadem nota L, 1 reperitur in illo codice escorialensi (summo folio 2 recto) et in eo quem describit Catalogus oliuariensis. Eidem etiam alludit Nicolaus Antonio (Bibl. hisp. uet., l. IX, nº 22) dicens : « Liber quoque proprietatum Aegidii Zamorensis fuit in Olivariensi bibliotheca Ms. in membranis, et antiqua nota, in folio »; et Pérez Bayer addens : « Exstat in eius Bibliothecae ms catalogo, t. I, pag. 159 hoc titulo : Liber proprietatum in membranis. Folio. antiquâ notâ L. I ».

At escorialensis liber inscriptus est Liber naturalium, non proprietatum. Equidem crediderim non titulum primo folio inscriptum translatum in catalogum esse, sed e materia coniectum a librario oliuariensi, cum deficeret primum folium, minus ceteris et forsitan postea additum.

Paruam ergo partem huius Historiae naturalis habemus, donec innotescat thoruniensis codex, in quo forsitan tota translata sit et integra permanserit.

Ampliorem uero materiam eius fuisse quam illa quae solet esse librorum qui nunc inscribi solent « histoire naturelle », nec tantum de rebus quas terra gignit et animalibus sed etiam de urbibus et populis, quomodo C. Plinium

secundum, ut e locis Libri de Praeconiis Hispaniae supra productis deprehenditur, in ea disseruisse Iohannem pro manifesto habemus.

Archiui quidem littera X (uide p. 39) Historiae naturalis XXI^{us} liber denominatur. Sed ab Ordóñez non ab Iohanne illum locum putauerim esse conscriptum, secundum quod de littera F paulo ante dicitur : « sed in hoc opere historie naturalis nihil reperitur sub litera F... »

Non compositam, neque inchoatam fuisse apparet eam cum Iohannes litteram X Libri illustrium personarum tractaret, quoniam in extrema hac littera « Quisquis, inquit, cum Historia canonica et civili habere voluerit Historiam naturalem, requirat librum nostrum cujus titulus est : Archivus sive Armarium scripturarum et ibidem inveniet omnia fere naturalia et scientialia, canonica et civilia, in contemplationem illius qui edidit universa... » (cf. p. 43). Vide quoque supra (p. 42) id quod post titulos litterae A in Libro illustrium personarum legitur. Immo in eiusdem operis littera P, quam in Archiuo Ordóñez non repperit, ad Historiam naturalem, quam scribere cogitat, lectorem remittit : « Al fin de la vida de S. Pablo dice : De Pauli preconiis infra tangetur aliqua in legenda apostolorum Petri et Pauli et in opere Sermonum nostrorum, et etiam in librum Meditationum nostrarum que traduntur sub ordine alphabeti : hoc idem fiet vita (?) comite in libro de Historia naturali in cap. de proprietatibus naturalibus et forsitan in aliis locis ubi congruenter Beato Paulo poterunt naturalia adaptari ». Extrema tamen in oratione eiusdem operis tanquam scriptam eam citat, ut uidetur (uide supra p. 46). Ante MCCLXXXII certe compositam esse probat mentio eius in Libro de Praeconiis Hispaniae. Quod autem simul ad eam et ad Archiuum reicitur lector, Iohannem indicat non dubitauisse, id quod iam in Archiuo dixerat, in Historiam naturalem transcribere, sicut in Historiam canonicam et ciuilem etiam transcripsit.

Iam in prologo Historiae naturalis librum « de hystoriā ciuili ubi tanguntur hystorie illustrium personarum » memorare Iohannem uidimus. Nicolaus quidem Antonio postquam dixit Iohannem citare historiam naturalem suam in tractatu sexto (lege VII uel potius VIII et uide supra, p. 20) addit : « alibi quoque in fine eiusdem tractatus sexti libros suos citat de historia civili. » Verum neque in tractatu sexto neque usquam illum locum inueni : quare dubito utrum pro Libro de Historia canonica et ciuili (id est Libro illustrium personarum) breuiatim Librum de Historia ciuili dixerit Iohannes, an, sicut in unum opus ex Archiuo siue Mari magno omnem materiam quae ad historiam naturalem pertinebat redegit, ita in unum quoque omnem materiam quae ad historiam ciuilem spectaret, id est uitas regum, imperatorum, ducum clarorum, historias nationum, etc. connexerit, siue ex eodem Mari magno ea contraxerit, siue historiam canonicam et ciuilem iam conscriptam in duo opera diuiserit.

Equidem historiam canonicam (uel ecclesiasticam) quoque in opus distinctum redactam, quanquam nusquam ita citatur, eam esse coniecerim Legendam

SS. per Ordinem alphabeti quam Iohannes de San Antonio in bibliotheca Iohannis Manuel Pantoja in urbe Cabaña uidit (cf. supra, p. 15). Exordium erat : « Almifluus aeterni Patris filius... » quod nescio an fuerit quaedam « oratio proemialis » ; nam quoniam a littera A initium eius ducitur, eodem officio fungi uidetur atque « orationes uel meditationes proemiales » quae in Libro illustrium personarum et in Archiuo singulis litteris praepositae sunt. Litterae autem A oratio propria neque Libri illustrium personarum neque Historiae naturalis praeposita est, et cum sua oratione tota littera A in Archiuo deficit. Forsitan una fuerit quatuor illis operibus in littera A et item in ceteris litteris, quemadmodum unam esse Libro illustrium personarum et Archiuo in singulis litteris iam uidimus.

At rem ampliorem quam legendam sanctorum, et paparum quoque episcoporumque clarorum uitas, conciliorum fortasse memoriam comprehendebat sane Historia canonica. Quare Historiam canonicam uel ecclesiasticam fuisse illam Legendam non constat. Potuit tamen San Antonio perlegere illud manuscriptum et tantum Vitas sanctorum animaduertere. Potuit etiam non inuenire titulum operis et illum scribere, quem maxime proprium iudicaret. Ceterum illam legendam tanquam Librum illustrium personarum et Historiam naturalem iam saltem in Archiuo delineatam et uariis rebus mixtam, in libro autem ipso Illustrium personarum quasi perfectam et integram reperias.

Ab Aegidio González, qui eam citat in « Theatro eclesiastico » (p. 24) et ab Hieronymo Román de la Higuera, qui eam memorat in notis ad Chronicon Luitprandi ad annum DCCXLVIII, Vitam S. Nicolai martyris siue Vitam Sancti Leonardi et utriusque Nicolai Bletissae siue Ledesmae oppidi martyrum a Iohanne scriptam esse accepit Nicolaus Antonio (Bibl. hip. uet. l. IX, n° 19). Meminit autem Flórez (Esp. sagr., t. XIV, p. 295; 2ª ed., p. 306) cuiusdam episcopi zamorensis qui, ut in Martyrologio suo pridie Kalendas octobres Iohannes Tamayo de Salazar narrat, reperire acta in libris illis Iohannis quae in monasterio zamorensi erant, nequiuit. Ea tamen in praedictis codicibus inueniebantur : quorum apographon sibi scriptum Flórez habebat, uidelicet, ut opinor, in codice Md, nam in Libro illustrium personarum sub uerbo « Nicolaus », ut ait Flórez, legitur.

Nunc uero denique illud quod Wadding et Dávila et, iisdem fere uerbis ac Wadding, San Antonio, iam retulimus asserere de Historia naturali ecclesiastica et ciuili quadam sex tomis contenta et ab Archiuo diuersa, omnino infitiari licebit. Nam Wadding ut, diximus, Zamorenses tomos non uidisse; Davila et San Antonio ex illo id quod scripserunt partim certe sumpsisse satis elucet[1]. At enim San Antonio illos tomos dicit se non semel uidisse ac perlegisse. Sed e memoria eius excidere uera condicio formaque multiplicis illius operis; et tituli alterius libri cum altero permiscere eo magis potuit, quod aliquid temporis interfuit inter lailm pertractationem et Bibliothecae

1. Aegidius González Dávila « no acostumbra calificar sus dichos », ait Flórez (Esp. Sagr. XIV, p. 368, 2ª ed.).

franciscanae compositionem: nam ipse de Archiuo dicit: « cuius operis ni fallor unice adest tomus secundus... »; nec « ni fallor » dixisset nisi ea memoriter exposuisset. Nec quod Wadding et Dávila asseruerant habuit cur refelleret, cum ipse id quod uiderat animo obliterasset.

E codice Md iam comperimus in Archiuo sub litteram F remitti lectorem ad Tractatus generales et speciales de animalibus, de auibus, de arboribus... de coloribus... de electuariis... (uide p. 39), etc. Quid erant illi tractatus? Si quis paulo ante etiam reici lectorem ad quendam Tractatum de Sacramentis notauerit: « Extrema unctio requiratur in tractatu de Sacramentis in S littera », persuasum ille habebit eum tractatum non aliud esse quam articulum aliquod Archiui, et coniecturam duxit optimam scriba florezianus dum huic loco adscribit: « Nota que yo entiendo que estas obras que cita el autor son titulos del armarium scripturarum. La razon es, si no me engaño, porque algunas de las que cita y corresponden à las letras que han quedado del Armarium estan aquellos mismos titulos aqui, v. g. De coloribus, de electuariis, etc. No se pueden comprobar los demas que pone, por quanto faltan las letras à que corresponden. »

Etenim in littera C titulus « Colorum species et proprietates », in littera E titulus « Electuarium confectiones » inuenitur. Tractatus igitur illi de quibus supra agebatur non erant opera separata. Ideoque generales alii, speciales alii erant, quod, cum circa omne rerum uel animalium genus uerterentur, in partes digesti et minute concisi erant secundum genera et partes generibus subiectas. Vnum autem ex illis tractatibus habemus in Historia naturali cum suo titulo et suo « incipit », quasi capitulum in libro: is est « Tractatus specialis de auibus et ceteris uolantibus ab a littera incipientibus ». Inter quod et articulum « oiseau » apud « Dictionnaire Larousse » uel apud « Grande Encyclopédie » hoc differt, quod non de omnibus auibus in uno articulo sed tantum de iis qui a littera A incipiunt ille agit antiquus auctor, et deinceps in singulas litteras huius modi specialem tractatum de auibus constituisse uidetur, ut tot speciales uel generales tractatus de eodem genere rerum animaliumue, quot litterae existunt, fortasse formauerit aliquoties. Neque agmine continuato omnes aues quarum nomina littera A incipiunt indicantur, sed separatim, et ipso loco quem alphabeticus ordo exigebat, ita ut « Alaudes (sic) aues » post Alaniam regionem et « Anas auis » post Anacardum ueniat. Ergo errauit San Antonio, qui illos tractatus aliquod opus generale et speciale esse ab Archiuo diuersum existimauit; nam ipsum Archiuum constituunt. Sed in alio opusculo hanc rem tractabo.

In Libro de Praeconiis Hispaniae et in Libro de Praeconiis ciuitatis Numantinae non semel quendam Librum de Mundi aetatibus uel de Aetatibus Iohannes citat: « Deinde superuenit dominium gothorum ꝛ durauit usque ad regem rodericum qui fuit ultimus rex gothorum sub quo tota hyspania fuit ab arabibus occupata et etiam dissipata in era septimgentesima. LII[a]. exceptis aliquibus partibus in montanis asturiarum bixcaye ruconie ꝛ aragonie sicut

tetigi sufficienter in libro de etatibus z in aliis libris meis hystorialibus » (in Libro de Praec. Hisp., f. 71 cod. P., et in Libro de Praec. ciu. num., I, 17. Illum locum citat Antonio in extremo numero 16). In Libro de Praeconiis Hispaniae (f. 16^{u}) antequam incipit ea uirorum illustrium et quasi totius Hispaniae historia, quam tractatus quartus continet, legitur: « Vt autem exemplis euidentibus pateat intuentibus ac legentibus militaris hyspanie potentatus aliqua exempla breuiter subscribamus. et enim in libro illustrium personarum z in libro de etatibus exempla fortitudinis militaris copiosius adnotantur. » De coniuratione nobilium contra Aldephonsum filium Fernandi dicit : « Quorum sanguis quiescere nunquam nouit sicut exemplariter patet in libro nostro illustrium personarum z in libro de etatibus » (in Libro de Praec. Hisp., f. 104, et in Libro de Praec. ciu. num., VII, 31). — « Ab incarnatione uero domini recurrente anno. CC°. LXXXII. fuere hyspanie reges LXIX. Quales autem ex eis aliqui fuerunt liber noster de etatibus et de uiris illustribus manifestat » (in Libro de Praec. Hisp., f. 91, et in Libro de Praec. ciu. num., VII, 9; sed in codice Md. omissum est « noster de aetatibus et »). — « Hic (Aldephonsus) mortuo almemone z hyssem primogenito eius cum quibus fecerat pactionem ciuitatem obtinuit tholetanam sub era M^{a}. C^{a} XXI. multis pactionibus interpositis ut in libris nostris de uiris illustribus z in libro de mundi etatibus fuit dictum » (in Libro de Praec. Hisp., f. 85; sed in Libro de Praec. ciu. num., V, 4, omissum est « et in libro de mundi etatibus »). — « De regibus omnibus prelibatis (id est qui recuperauerunt hispaniam) z de ciuitatibus ab eis captis et eciam populatis z de mirificis uictoriis usque in hodiernum diem de initus[1] sibi datis in libro meo de mundi etatibus satis sufficienter iuxta imbecillitatem nostri ingenii fuit dictum » (in Libro de Praec. Hisp., f. 71 uerso, et in Libro de Praec. ciu. num., I, 17). — « De aliis uero legionis z castelle, aragonie z nauarre ac portugalie hyspanis principibus z militibus generosis z eorum uictoriis gloriosis z acquisitionibus famosis a primaria hyspanie populatione deducendo a creatione mundi nationum hystorias generales usque ad regem nobilem Aldefonsum qui in regem romanorum electum z illustrem infantem sancium filium eius maiorem qui iam eidem incipit corregnare in libro nostro de mundi etatibus z de uiris illustribus fuit dictum » (in Libro de Praec. Hisp., f. 44 uerso; illum locum citat Antonio num. 16). — Iam transcripsimus supra (p. 54) alium locum qui folio 3 inuenitur de origine nominis Galleciae. — Vltimum denique allegabimus locum qui in Libro de Praec. Hisp. (folio 90 uerso cod. P) de morte et testamento Alexandri magni inuenitur: « Testamentum suum ordinauit ut in libro nostro continetur cuius titulus est armarium scripturarum. In libro quoque illustrium personarum ordinauimus illud idem ubi continetur hystoria nobilissimi alexandri. In libro uero de mundi etatibus tradidi hoc succinte. » (In Libro de Praec. ciu. num. idem legitur, sed « tradidimus illud idem » pro « tradidi hoc succinte. »)

Ex eo quod legitur folio 44 uerso et 91 codicis parisini coniectari unum et idem opus esse Librum de Viris illustribus et Librum de Aetatibus, sed ex

1. « Diuinitus » in Libro de Praec. ciu. numantinae.

folio 85 contrarium deprehendi posse iam uidimus p. 52. Si autem a Libro de Aetatibus diuersus est Liber de Viris illustribus, uix opinari licet a Libro illustrium personarum diuersum fuisse. Nam in tanta titulorum diuersitate et inconstantia quantam iam aduertimus, nonne potuit auctor librum de Viris illustribus appellare opus quod siue Librum illustrium personarum siue Historiam canonicam et ciuilem siue Historiam ecclesiasticam et ciuilem nominare solebat? Quanquam enim neque in initiis, quae ab « incipit » uerbo incipiunt, usquam Librum de Viris illustribus praenuntiat et in « orationibus proemialibus », quae singulis litteris praepositae sunt, uerba « de personis illustribus », uel « notabilibus » uel « famosis » semper usurpat (opportune quidem, cum non de uiris solum uerum etiam de feminis in illo libro loquitur); tamen potius parum proprie et per negligentiam quandam Librum de Viris illustribus pro Libro illustrium personarum Iohannem dixisse putauerim quam Librum de Viris illustribus Libro de Aetatibus alterum titulum esse inscriptum, cuius materiae minime conueniret.

Nam cum ex eo quod Liber de Mundi aetatibus, siue de Aetatibus mundi, siue paucioribus uerbis Liber de Aetatibus illud opus nominatur (non enim dubium est quin de uno opere agatur), tum ex iis rebus de quibus ad illud reicitur lector quae materia in eo tractata fuerit non ita operose conicitur. Ex loco praecipue quem e tractatu quarto (f. 44 codicis parisini) exscripsit Antonio, quae fuerit ratio totius libri iam percipi potest, quae ut dicit idem, molis maioris nempe erat. Nam a creatione mundi incipiebat, et perpetuas nationum historias (de Alexandro enim agebatur, cf. fol. 90 cod. P), et Hispaniae a principio ad Alphonsum X^{um} et eius filium comprehendebat. Simile igitur aliquid erat Pelagiano corpori uel Lucae tudensis Chronico cum solita diuisione in sex aetates ab Isidoro et Augustino accepta. Num uero multum proprii illuc congesserat? E magno numero locorum a Roderico et Luca sumptorum, qui in aliis libris Iohannis discernuntur, non hoc suspicari licet.

Nunc uero, si Liber de Viris illustribus, ut facile animo accipio, idem est ac Liber illustrium personarum, non miror si ad illum simul atque ad Librum de Aetatibus lectorem de iisdem rebus remittere potuit Iohannes, quoniam Liber illustrium personarum litterarum ordine pene omnes uniuersarum gentium historias continebat.

Mb. — In codice Bibliothecae publicae matritensis F 55 (noster Mb, uide p. 22) qui praeter Librum de Praeconiis Hispaniae, uitas regum Hispaniae plerasque e Libro illustrium personarum transcriptas, ut uidetur, XVII et XVIII saeculo diuersis manibus exaratas continet, post Vitam Aldephonsi X historiae regum Navarrae Aragoniae et Portugaliae adiectae sunt, sic incipientes : « De regibus Navarrae. Principium per aliquot lineas legi non poterat usque ad... Cumque quondam Legio Castella et Navarra. Cum enim Legio et Castella et Navarra varis Arabum incursionibus... » (fol. 138-140 uerso). — « De regibus Aragoniae. Regnum vero Aragoniae sic incepit : Ranimirus filius Regis Sancii supradicti... » (fol. 142-145). — « De regibus Portugalliae

Aldephonsus Decimus (uide p. 43) filius comitis Henrici et Therasiae filiae regis Aldephonsi... » (fol. 146-147 uerso).

In extremo autem quarto tractatu Libri de Praeconiis Hispaniae, postquam historiae regum usque ad Fruelam, Roderici Diaz et regis Hyssem narratae sunt, iam uidimus ad Librum de Mundi aetatibus et de Viris illustribus remitti lectorem (fol. 44 uerso codicis P; uide supra, p. 59) « de aliis Legionis et Castelle Aragonie et Navarre ac Portugalie hyspanis principibus... » In Libro quidem illustrium personarum erant historiae regum illorum. Nam sub titulo Garsias multiplex in littera G necesse est exstiterint regum Nauarrorum uitae, cum unus Castellae rex illud nomen habuerit. Separatae autem in eodem libro et in singulas litteras quibus incipiebant nomina regum distributae erant. In Libro de Mundi aetatibus historiae regum Aragoniae, Nauarrae et Portugaliae ut in apographo Mb cum titulis enuntiatis fuisse compositas uerisimile est.

In eodem codice Mb ante ea quae supra memorata sunt leguntur multa capitula quibus librum separatum formari dixeris. Omnium enim regum hispanorum uitas continuatis temporibus neque iam ad litteram digestas complectitur. Praepositum est capitulum « de origine et actis Gothorum » quod nihil aliud est quam Libri illustrium personarum articulus « gothi gentes », qui in Mda fol. 147 uerso ad fol. 154 uersum legitur. Ante Ataulphum etiam transcripta sunt Vitae Athanarici et Alarici, quae in eodem codice a folio 96 ad 99 auersum, et folio 23 auerso ac 24 leguntur.

Vita autem Athanarici sic incipit : « Athanaricus. Ex lib. A verbo Athanaricus ». Etenim e Libro illustrium personarum omnia illa capitula sumpta sunt, ita tamen ut capitula de Theodorico, Eurico, Alarico, Leouigildo, Sisebuto, Sisenando, manu una exarata, quae ab ea quae cetera scripsit diuersa est, ex articulo Hispani extracta sunt. Nam sicut idem textus est, ita ubi in Md notata sunt puncta ::::, quibus monemur non in archetypo legi posse, in apographo Mb dicitur : « cetera non legi possunt » uel aliquid simile. Ita declaratur deficere Gesalaicus, Amalaricus, Theudius, Theodisclus, Agila, Athanagildus, Liuba, Liuva II, Witericus, Gundemarus, Sisebutus et Recharedus filius : quos certe in eodem articulo « Hispani » codex Md non habet.

Illo apographo Mb non repraesentatur Iohannis opus aliquod ab iis, quae iam nouimus, diuersum. Capitula quae ex articulo « Hispani » extracta sunt, ex ipso archetypo transcripta esse puto. Nam si illa ab ordonieziano apographo extraxisset, non diceret is qui ea transcripsit : « cetera non legi possunt », « principium legi non potest usque ad... » ; sed ut scriba florezianus signa ::: transtulisset quae lectorem se Ordóñez monet (uide supra p. 45) articulis e tomo tertio sumptis inseruisse, ubi legere prohiberet membrana putrefacta. Immo quoniam folium deesse in autographo bis declarat ille amanuensis, dubitare non licet quin autographum ipsum zamorensem uiderit.

Capitula uero cetera ex ordonieziano apographo sumpta esse demonstrant duae notae, quae post capitula de Recharedo et de Roderico, eaedem in Mb et in Md leguntur. Haec est prior : « Sequitur historia Remigii archiepiscopi Remensis quam omitimus. » Altera autem : « hic reliquntur Historie sequentes

scilicet : Roderici Didaci Cidy, Roberti Guiskardi Francigee, Romani M. et B. Rustici que valde extensa ponitur, quas omitimus ut ad alia utiliora transeamus ». Quae notae nequaquam Iohannis esse possunt.

Quae autem ex Md translata sunt, ex articulis Libri illustrium personarum singulis regibus per ordinem litterarum dedicatis pleraque sunt exscripta, praeter capitula de Mauregato et de Garsia, quae « ex libro M uerbo numantini populi » sumpta notantur. « In libro de laudibus hispaniae fol. 36 » et « fol. 38 » legi id quod ad Ordonium I et Ordonium II pertinet indicatur.

Post capitula de regibus Nauarrae, Aragoniae, Portugalliae, continet Mb capitula de regibus Vandalis (id est Gunderico, Guisserico), de Yssem Cordubae rege et de Almancor Arabe. Quorum articuli in Md sub eadem nomina inueniuntur, excepto articulo de Yssem de quo agitur in extremo quarto tractatu Libro de Praeconiis. Quoniam autem aliquot reges non habet Md qui in Mb leguntur (hi sunt Aurelius, Sylo, Mauregatus, Ordonius III, Santius, Veremudus II et III, Sancius III) apographo Mb apographon Md ea parte suppletur.

Md
Archetypum zamorense { Ordoniezianum apogr. }
Mb (ex parte) — Mb (plerumque)

Mc. — In codice Cc 119 (= 18657) Bibliothecae nationalis matritensis, XVII saeculo exaratus octo foliorum quaternio est in quo Vita Roderici Didaci tres paginas occupat, quae in Md deficit aeque atque in Mb (uide supra). Sic incipit : « Roderici Didaci, dicti Cydi, et militis strenuissimi genus et actus strenuissimos huic operi decreuimus annotare ut inspectis eius strenuitatibus ad actus consimiles animentur milites et barones. Prefatus itaque Rodericus arabice fuit Cydy id est dominus appelatus, sed campiator fuit vulgariter nuncupatus eo quod campum fere semper obtinuit contra hostes et in campo de ipsis viriliter triumphauit. » Illud initium transcripsi exempli causa. Alibi autem totam Vitam publicare in animo habeo, quam etiam in tractatu IV Libri de Praeconiis Hispaniae (non tamen in Libro de Praec. ciu. num.) Iohannes narrat. Sequuntur « Historie regum qui Sancii nomine titulantur prout a R° traduntur Egidio Zamorensi », e Roderico Toletano ad uerbum sumptae.

Mf. — Liber Ms. papyraceus I-333 Bibl. nat. matr. (hodie 2803) « in folio » continet a f. 231^{v} ad f. 232^{v} « Epilogo de los Reyes que han reinado en España asta D. Sancho madruga hiio del Rei don alonso el Sabio. Sacado de la historia que escribio Fray Juan Gil de Zamora el qual escriuio y florecio año del Señor de 1280 que tenia Fernan Perez de Guzman señor de Batres en su libreria y Ambrosio de Morales confiesa huuo en su poder con otros papeles de este autor ». Hispano sermone catalogus est regum Gothorum, Legionis et Galiciae, Castellae et Legionis, cui additum est aliquid de illorum genealogiis, et id praecipue notabile de comite Domino Sanctio filio comitis Castellae Garciae Fernandis : « fue ome mui noble entre otros muchos bienes que fixo dio libertad a los fijos dalgo de Castilla que non pechassen ni siruiesen en las guerras

a su costa e antes desto pechaban e iban a las guerras a sus despensas, a este Conde Don Sancho quiso dar yeruas la condesa su madre par lo matar porque ella traia su trato con un Rey moro para se casar con el e vna donçella de su casa della que lo supo descubrirlo a vn escudero del conde que era su enamorado e el escudero dixolo al conde su señor del conde desque fue bien cierto desta cosa fiço por fuerca beuer a su madre lo que ella le queria dar a el e ella murio luego e el conde fiço facer el monasterio de Oña e alli la enterro e al escudero e a la doncella casoles en vno e destos vienen los monteros del Spinosa que por esta lealtad que fiçieron an el privilegio que an e duermen açerca de la camara del Rey... » (Vide « Bulletin hispanique », t. XIII, p. 425.)

Ille Catalogus uel Epilogus aliquis esse articulus mihi uidetur esse e Libro de mundi aetatibus extractus, de quo uide supra pp. 58-61.

In Libro Mariae de quo aliquid dicetur infra quibusdam Chronicis Summorum Pontificum alludere Iohannem dicit Fita (Bol. de la R. Acad., t. VI, p. 409, nota 2). E quibus saltem aliquot locos in Librum de Praeconiis Hispaniae (tractatu VIII) et in Librum de Praec. ciu. numantinae (VII) uidetur ipse scriptor transtulisse. Ea uero Chronica partes existimo esse Libri de mundi aetatibus, quanquam id argumentis manifestum facere nequeo.

Librum De corporis S. Ildefonsi revelatione in Ecclesia Zamorensi a nostro scriptum non nouisse uidetur Nicolaus Antonio (Bibl. hisp. uet. l. IX, n° 20) sed duos scriptores eum laudantes citat : « Cuius operis librum primus alicubi laudat D. Thomas Tamaius de Vargas, recordaturque Stephanus Garibaius lib. 12, cap. 1, in fine. » Quem edidit Fidelis Fita in « Boletín de la Real Academia de la Historia », anno MDCCCLXXXV (p. 60-71), extractum ex articulo qui inscriptus Aldephonsus multiplex in codice I-217 (nobis Md), a folio 26^u ad 32^r, ergo in Libro illustrium personarum, reperitur (uide p. 40 et 43).

De Libro autem Iesu et Libro Mariae et Libro de miraculis almifluae Virginis Mariae, uide ea quae edidit Fita in « Boletin de la R. Acad. de la Historia », t. VI, p. 379-409, 408-429; t. VII, p. 54-144; t. XIII, p. 187-225. Equidem Librum de miraculis almifluae Virginis Mariae, quem reperiri aliquando optat Fita, non alium esse puto quam tractatum sextum decimum Libri Mariae, qui inscriptus est De multorum miraculorum per almifluam uirginem patrationem (sic) seu conparatione, in sex tractatus ipse diuisus (in codice Bibl. nat. matritensis Bb. 150, fol. 119^u-165^u), et ex eo multas « Leyendas » transcriptas ipse Fita edidit. Liber autem Iesu et Mariae nescio an sit idem codex de quo mentionem iam dixi (p. 15) facere Catalogum Collegii Sancti Bartholomaei Salmanticensis, quanquam is quindecim folia habet amplius quam matritensis, certe mutilus.

« Unos indices ò verbales de historia por las letras del a b c que se conservan en S. Francisco de Zamora » quos a Thoma Tamayo de Vargas Iohanni attributos supra (p. 13) uidimus, non alios esse atque Archiuum uel potius Librum illustrium personarum, contra quam coniecit Nicolaus Antonio,

iam patet. Nunc autem merito exclamare eundem Antonio quoque patet : « Planè ita confusè de his Aegidii operibus apud varios refertur, ut curiosam diligentium hominum sitim potius accendant quàm extinguant. Quidam Chronicon laudant, quidam Historiam, quidam hosce Indices historiae verbales... »

In « explicit » Libri illustrium personarum Iohannes Librum Sermonum et Librum Meditationum et Orationum citat (uide supra p. 46). In iisdem libris S. Paulo praeconia se tribuisse testatur, ut notat scriba florezianus in littera P Libri illustrium personarum (uide p. 56).

Liber quidem Sermonum, quem citat Iohannes, forsitan sit idem atque ille de quo Lucam Wadding secutus loquitur Nicolaus Antonio sub uerbo Aegidius (Bibl. hisp. uet. t. II, p. 356) in ea parte, qua de scriptoribus incerti temporis agitur : « Aegidius, Ordinis Minorum, Scriptor inter huius familiae alios a Wadingo laudatur sub Hispani nomine, Sermonum de Sanctis, qui incipiunt : Philosophia est divinarum rerum speculatio. » Nota Francisci Pérez Bayer illum Aegidium eundem fuisse ac nostrum Iohannem Aegidii nobis recte inicit.

Id certe quod de suo Libro Sermonum dicit Iohannes notandum est : « datur copiosus ad omnem materiam ». Nam hoc nunquam esse oblitus, et hoc quaesiisse, in suis operibus omnibus uidetur, ut locos communes, argumenta, exempla, « ad allevationem predicatorum », sicut ait in prologo Libri illustrium personarum (uide supra p. 41), colligeret et congereret. Neque id debet eum fugere qui illa monachalia opera ingentia et multiplicia considerat, ne eum lateat quid denique sibi proposuerit auctor, dum illud Mare magnum componit et tanquam in maria minora, ut facilius reperiretur res quaesita, diuidit.

In illis autem libris sermonum ac meditationum et orationum uitas sanctorum uel illustrium personarum quae etiam in Librum illustrium personarum coniecit, inseruisse eum deprehenditur ex eo quod dicit in iis plurima inueniri « que redunt commendabiles multas personas canonicas et civiles. » Et ideo praecipue Librum Meditationum et Orationum existimo diuersas continuisse meditationes et orationes ab iis quas prooemiales dictas Iohannes singulis litteris Archiui et Libri illustrium personarum et Historiae naturalis et aliorum fortasse operum tanquam quasdam « vignettes » praeposuit. Nam illae nihil ipsae quod reddat « commendabiles multas personas canonicas et ciuiles » habent. Ceterum in litteram digesta et ipsa erant; nam Iohannes ait : « traduntur sub ordine alphabeti » (cf. p. 56).

In Meditatione prooemiali litterae B quae in Libro illustrium personarum legitur, Liber de speculationibus prelatorum allegatur (uide supra, p. 43). Quid fuerit illud opus nescio.

Capitulum III

Quid ex testimoniis solis colligatur.

« Aduersaria, quae apud se descripta habet D. Gaspar Ibañez de Segovia Marchio Acropolitanus Matriti » memorat Nicolaus Antonio (Bibl.. hisp. uet., l. IX, n° 21) ut supra (p. 14) iam uidimus. Qui etsi longinquitate loci uix de eorum argumento consulere se fatetur, tamen ex iis unum locum allegat (l. VII, n° 52) de Commentario quodam Pelagiano : « Hunc commentarium Chronico ipsi Pelagiano videtur mihi contribuisse Ioannes Aegidius Zamorensis Franciscanus, multae vir lectionis: qui in Adversariorum, hactenus ineditorum, tractatu VI. Pelagius vero (ait) Ovetensis Episcopus in Chronicis suis dicit, quod ab exordio mundi usque ad aedificationem urbis Toletanae fluxerunt anni MMMMDCCLXXIV. » Conferendum est id quod Flórez dicit de eodem Commentario (Esp. Sag., t. IV, p. 208 tertiae editionis): « ...el tratado que citan Morales y D. Nicolás Antonio en nombre de D. Pelayo, intitulado de algunas ciudades de España. Téngole entre mis Mss., y es el mismo que Fr. Juan Gil de Zamora menciona en sus Adversarios inéditos, pero citados por D. Nicol. Antonio lib. 7, num. 52, Bibl. Vet., donde pone por autor á D. Pelayo, citándole en el libro de sus crónicas. »

Commentarium de quo Antonio et Flórez agunt et eius partem in Iohannis Aduersariis deprehendunt, edidit Risco in « España Sagrada » tomo XXXVIII, p. 374; et in codice Bibliothecae matritensis F-86 hodie 1358 (Complutensi), folio 6, et in F-58, hodie 1346, e Complutensi ex parte descripto, folio 101 auerso, denique in I-323, hodie 2805, inuenias. Locum autem quem citat Antonio, in tractatu septimo Libri de Praeconiis Hispaniae, folio 67 codicis Parisini, et in Libro de Praeconiis ciuitatis Numantinae (I, 8) habemus. Verum in illo solo, non in hoc leguntur uerba « in cronicis suis » quarum causa Antonio dicit Iohannem chronicos ipsi pelagiano « contribuisse » commentarium illud de quibusdam ciuitatibus Hispaniae, cum reuera separatum exstet in manuscriptis.

Quidnam erant illa Aduersaria quorum tractatu sexto inuenit Antonio illum locum quem citat? In tractatu Libri de Praeconiis Hispaniae septimo, quem sextum nominare Nicolaum iam, p. 56, uidimus, legitur ille locus.

Quare dubito an quidquam aliud illa ab eo et a Flórez decantata Aduersaria non fuerint quam ipse Liber de Praeconiis Hispaniae. « Sunt autem aduersaria liturarii libelli sive tumultuariae quaedam tabulae, quae ante codicis confectionem perscribebantur, ne memoria rerum excideret, ut ex iis postea tabulae justae, et aeternae fierent.[1] » Gallice « brouillon » uel hispane « borrador » dicas. Illa de antiquis. Quid eiusdem uocabuli sensus fuerit XVII° saeculo post C. optime licet cognoscere ex eo quod inter auctores suos Mariana in editione latina suae Historiae anno MDCV indicat « Ioannis Baptistae Peresi Episcopi Segorbiensis aduersaria », et eadem in editione hispana anno MDCI « Juan Bautista Perez obispo de Segorue sus papeles ». Aduersaria ergo Iohannis de Mariana aetate « papiers » uel « notes » significabant. Locum certe ab Antonio transcriptum habet codex Academicus in margine. Potuit ergo possidere Gaspar si minus archetypum Libri de Praeconiis Hispaniae a Iohanne exaratum, at apographon cum notis et additamentis, codicis Parisini modo, in quo sicut in codice Academico plures locos in margine scriptos iam notauimus (uide p. 21 et 27). Non autem ipsum codicem Academicum fuisse existimare licet illa Aduersaria, quae Ibáñez possedit, quoniam sextus tractatus in plures tractatus diuisum opus indicat: quod cum codicis alicuius Libri de Praeconiis Hispaniae magis quam Libri de Praeconiis ciuitatis numantinae condicione aptissime congruit.

E Summa Iohannis alicuius loci, si minus uerba ipsa (nam librum ipsum non habebat), at sensum referre Iohannem de Torquemada uidimus p. 7. An eadem sit ac Liber de Casibus conscientiae quem, in « Teatro eclesiastico » (uide p. 14) solus Aegidius González memorat, Nicolaus Antonio dubitat. Equidem si qua est de ea re controuersia, eo minus eam disceptare cogito quod ad historiam nequaquam pertinet. Sed multo plures Iohannis tomos exstitisse quam illos septem decantatos iterum inde colligi posse animaduertam.

Quod etiam patet ex eo quod (ut iam dixi p. 15) in « Historia del colegio viejo de S. Bartholomé mayor de la celebre Universidad de Salamanca », parte secunda, tertio tomo, p. 341, inter libros illius bibliothecae numeratur: « Zamorensis Egidius, Rectorica, vol. 1 ».

Una cum Chronico cuiusdam Iuliani Lucae Diaconi[2] tractatum de Antiquitatibus Hispaniae ab Iohanne Aegidii lingua lusitana compositum Florianus do Campo in Coronica general de España ter memorat. Primum de Roma ab Hispanis, qui Atlantem Italum comitati essent, condita. Secundum de antiquorum Hispanorum religionibus et caerimoniis. Tertium de legato ab Hispanis ad Alexandrum misso (uide appendicem A)[3]. Nicolaus quidem

1. Forcellini Lexicon in hac uoce.

2. De quo uide meum opus « Les Histoires générales d'Espagne entre Alphonse X et Philippe II », p. 124-127.

3. Textum anno MDXLIII editum sequor, indicatis locis uel uerbis quae praecipue differunt in editione quam curauit Cano (de qua uide « Histoires générales d'Espagne », p. 102) et eam designo littera C.

Antonio dum locum postremum hunc transcribit (cetera eum fugerunt) an illud opus de quo agitur pars aliqua sit Libri de Praeconiis Hispaniae uel Libri de Aetatibus in lusitanam linguam uersa, anquirit. In Libro de Praeconiis Hispaniae nihil certe quod cum illis tribus locis congruat uideo. Restat ut Liber de Aetatibus uel pars eius sit ille tractatus de Antiquitatibus Hispaniae nisi opus separatum fuerit, quod non aliter innotuerit.

Quoniam autem suspicionem dedit Ocampo mendacii, neque illa eum adhuc quisquam exsoluit, de tractatu quem solus nouerit ei affirmanti non statim credere licet.

Lusitane quidem scripsisse aliquem tractatum Iohannem nostrum non infitias ibit, si quis hanc clausulam quam extremus Liber de Praeconiis Hispaniae habet in codice antiquissimo parisino P (uide p. 19) animaduerterit: « Explicit liber de preconiis hyspanie ad informationem principium magnorum quem edidit frater Iohannes egidii minister fratrum minorum portugaliae. » Quae nota eadem manu ac textus, rubris litteris exarata est. Quamobrem uereor ne Wadding et San Antonio Iohannem ad Lusitaniam prouinciam pertinuisse perperam negent. Dicit quidem Wadding: « Ioannes Aegidius, Zamorensis, prouinc. sancti Iacobi alumnus, quem perperam provinc. Lusitaniae ministrum faciunt Vvillotus & Possevinus, cum sub illud tempus prouincia illa adhuc non extaret, sed eadem esset cum illa S. Iacobi. » Dicit autem San Antonio: « Ioannes Aegidius, Hispanus, Zamorensis (quem perperàm Lusitanum facit Georgius Cardoso, tom. 3 Agiologii Lusitani die 17 Iunii) Provinciae S. Iacobi (minimè Lusitaniae) alumnus. »

Attamen, si non religionis franciscanae, antiquae certe Hispaniae prouincia Lusitania, quae zamorensem regionem capiebat, intelligi potest ; ac librarius parum prudens forsitan loco Lusitaniae Portugalliam scripserit, cum nesciret hanc ab illa satis differre.

Quidquid id est, lusitana lingua usus esse familiariter et etiam scribere potuit is quem in oppido Zamora natum esse uel certe uixisse constet, cum tam prope a Portugalia eius patria fuerit. Ceterum quid fuerit tunc lusitana lingua, quid interfuerit inter illam et ea qua Zamorenses tertio decimo saeculo utebantur, quis disceptare possit, cum antiquissimi codices in quibus inuenitur « Estoria general de España » quam ab Alphonso X° aiunt compositam, peritissimus quisque uix audeat, utrum lusitana an callaeca lingua scripti sint, expedire [1].

Potuitne Floriano lusitane scriptum uideri id quod sermone quo Zamorenses si non urbani, rustici certe, abhinc sexcentos annos utebantur, neque magnopere a lusitano sane diuerso nec tamen omnino simili, litteris consignatum esset? Potuit utique non a Iohanne lusitane, uel quaqua lingua scriptum fuit, illud opus componi, sed in eam linguam deinceps transferri.

Ceterum duobus postremis locis in quibus Ocampo Iohannem citat,

1. De quibus uide Ramón Menéndez Pidal « Catálogo de la Real Biblioteca » (Madrid, MDCCCXCVIII), p. 8, et « La leyenda de los Infantes de Lara », p. 384-385 ; Leite de Vasconcellos, « Textos archaicos » (2ª éd., Lisboa, 1908), p. 43.

nihil in operibus Iohannis absonum uideo. Neque esset cur refelleretur id quod de tractatu huius ille testatur, nisi de loco quem primum exscripsimus incideret suspicio.

Non semel Romam ab Hispanis conditam Ocampo asseruit : idem repetiit in libro suo secundo, quod in libro primo dixerat (uide appendicem A. 1).

Iulianum autem Diaconum quem hic auctorem noster Florianus producit et ab eo multum petiit, nusquam Iohannes Aegidii memorat. Cur Iohannem ab illo Iuliano id quod ad Romam spectat mutuatum esse existimet, nescio. Iohannem autem non solum scripsisse id, quod ipse asserit, Florianus affirmat, sed etiam illud, tanquam suo tempore disseminatum et comprobatum, haud diligentius persequi et tractare notat. Quomodo uero in Libro de Praeconiis Hispaniae contraria sententia tanquam disseminata et comprobata quoque ita inuenitur ut etiam dici posset : « cuéntalo sencillamente pasando por ello como por cosa que los discretos bien leidos tenian recebida y aueriguada »? Nam de condita Roma id solum refert : « Romulus ₇ remus gemelli ex patre marte ₇ matre ylia nascuntur ₇ a lupa nutrici feruntur... Anno uero ab urbe condita tercio remus rastro pastorali occisus est a abio duce romuli... Romulus igitur ₇ remus romam hedificauerunt in monte palatino quinta olimpiade sub rege achaz » (f. 89 codicis parisini et in « Boletín de la R. Acad. de la Hist. », tomo V, p. 175) : quae doctrina et fere uerba ab Isidoro partim, partim a Luca Tudensi manare apparent[1], neque aliud quidquam de eadem Vrbe ab aliis antea condita usquam in eius operibus traditur.

Solet tamen interdum Iohannes duo tresue sententias contrarias referre, ubi eas nouit, etsi unam eligat et defendat; exempli gratia quando de Zamorae etymologia in Libro de Praeconiis Hispaniae (f° 72° cod P) et in Libro de Praeconiis ciuitatis numantinae (II, 5) agit, uel quae fuerit Munda haeret dubius (fol. 69 codicis P et in « Boletín », dicto tomo, p. 141). Quomodo igitur, dum de Roma condita loquitur, opinionem Hispanis gratissimam nempe et honorificentissimam quam alibi rettulisset, non hic, in libro quem inscripsit de Praeconiis Hispaniae, enuntiauit? Quomodo, si ab Hispanis Romam conditam in illo libello de Antiquitatibus Hispaniae scripsit, illud in primo Libri de Praeconiis Hispaniae tractatu inscripto « de Hispanie populatione », cum de Hercule et Atlante et Hyspano agit, omittit dicere? Ceterum Atlantem nihil magis quam Herculis comitem facit neque de eo multum dicit. Quid quod in Epigenis fragmentis quae edita sunt, ea opinio de Roma condita ab externis gentibus, quam ei tribuit Ocampo, etiamsi inueniretur (nam frustra requiras), nihil ad rem pertineret, cum de Hispanis nominatim non ageretur ?

Alterum opus Iohannis citat Ocampo nec titulum refert in capitulo XXXI libri quarti sic inscripto : « Del engaño que tuuierõ muchos cronistas españoles, en dezir que la çiudad de Sagúnto, destruyda por Hanibal fuesse la que llaman agora Sigüença / donde juntamente se declara lo que sospechan

1. Vide Chronica Isidori iunioris in Monumentis Germaniae n° 143, 146; et Lucae Tudensis Chronicon mundi in Hispania illustrata, p. 16, uersu 16, sqq.

algunos otros historiadores d' la fundaçion y prinçipio desta mesma çiudad de Sigüença. » In quadam enim relatione ad episcopum Segouiae Petrum sibi amicissimum scribere ait Iohannem Aegidii a pluribus Saguntinis qui ruinam oppidi sui effugissent, Sigüenza oppidum esse conditum (uide appendicem B).

In Libro autem de Praeconis Hispaniae (folio 67 codicis P) legitur : « Saguntum uero ipsa est metina celim id est ciuitas secura iuxta saguntum ut dicit hysidorus in eodem [1]. De hac ciuitate loquitur augustinus, III° libro de ciuitate dei. XVI° capitulo ita dicens. Saguntini cum essent romanorum fideles amici Anibali obsidenti fortiter restiterunt si forte romani eisdem interim subuenirent. Sed Anibal eos tamdiu opugnationibus lacessiuit ut cogerentur cibos uetitos attemptare vnde saguntini ne captiui in manus hostium peruenirent ingentem rogum publice construxerunt. In quem ardentem ferro etiam trucidatos omnes sese suosque miserunt. »

Is Petrus episcopus urbis Sigüenza, cui Ocampo ait illam relationem scripsisse Iohannem, non alius esse potest quam Petrus II qui a MCCLI° usque ad MCCLX^{um} annum episcopus huius urbis fuit. Nam Petrus I multo ante, Petrus III circa annum MCCCXXXV^{um} eidem ecclesiae praefuit. De hoc non agitur. Librum autem de Praeconiis Hispaniae circa annum MCCLXXVIII uel MCCLXXXII Iohannes composuit. Iam aetate prouectus tunc sane erat. Iuueni enim monacho non filium credidisset Alphonsus Sapiens; et in illo libro pleraque opera eiusdem citata scriptorem iam seniorem demonstrant. Quod autem eum « ad tantam peruenisse senectutem ut... nec litteras cognosceret nec sciret se esse qui libros illos ediderit » referunt, Iohannem quinquagesimo anno post quam Archiuum et Librum de Praeconiis Hispaniae scripsisset, libellum de quo loquitur Ocampo composuisse non confirmat, immo, ut credo, infirmat. Ergo ante annum MCCLX^{um} illum paruum tractatum ad Petrum II necesse est scripserit, si modo scripsit. Quomodo igitur in Libro de Praeconiis Hispaniae, praesertim in capitulo urbibus quarum mutatum est nomen dedicato, Sigüenza urbem ipsam quondam fuisse Saguntum non meminit Iohannes? Nam me fugit quid significet haec eius sententia « Saguntum uero ipsa est Medina çelim, id est ciuitas secura, iuxta Saguntum », nisi uocem Saguntum secundo usurpatam pro Sigüenza uel latine Segontia errore librarius scripserit in codice de quo pendent ceteri. Quod dum annotare uult Fita (Boletín, t. V, p. 139, nota) Saguntum et Siguenza idem « según el Autor » fuisse affirmat; illud autem ualde contrarium est opinioni Iohannis, qui expresse dicit Saguntum ipsam esse Medinaçelim.

Ceterum quod Florianus dicit « y los tales Saguntinos así librados... se metieron por lo mas dentro de España hasta llegar en la tierra de los Espanoles Arevacos... y aqui todos ellos fundaron la ciudad de Siguenza... » contrarium quoque opinioni Iohannis est, qui et Saguntinos omnes periisse affirmat, et Saguntum non ita longe a Siguenza collocat, fere duodecim milia scilicet. Nonne ergo dubitare licet quin fuerit sincerus Florianus?

1. Quod ab Isidoro non dici potuit et recte correxit Fita, ponendo « ut dicit Isidorus in eodem » post superiorem sententiam « hanc affri bellis impetitam post modum deleuerunt ».

Notandum est tamen sententiam quam Iohanni attribuit ipsum refellere Florianum. Nam antiquum Saguntum Murvedre esse recte existimat[1]. Neque apparet cur auctoris finxisset sententiam solum ut contra eam diceret.

Contra quam solet Iulianum Diaconum hic una cum Iohanne non citat. Nam ter iam hunc cum illo citari uidimus; et bis etiam titulo Iohannis operis non indicato, ambos producit. Primum de Asturica quam a tribu Gallorum, Asturum nomine, conditam asserit (uide appendicem C). Iohannes autem Asturicae olim Ramam nomen fuisse tantum dicit[2]. Quod cum Floriani sententia parum congruere uidetur. Secundum de Olisippone Vlixea (uide appendicem D). Nam Ocampo ab Vlixe trahere originem illam urbem existimat et Iohannem citat, recte quidem : haec enim illius inuenitur sententia : « Ulixbona uel Olixbona ciuitas est in Hyspania ab ulixe condita et uocata secundum hysidorum XV libro ethimologiarum » (f° 69 cod. P. et in « Boletín », t. V, p. 141).

Ergo sexies citat Iohannem Ocampo. Semel eius refellit sententiam, quinquies ei assentitur. Quod autem de Roma et Asturica condita affirmat, nullum auctorem habet nisi Iohannem et Iulianum Diaconum. Iulianus uero Diaconus nusquam deinceps apparuit. Iohannem, ut uidimus, de Asturica et praesertim de Roma longe aliter ac testatur Ocampo sentire patet.

Quod ad Romam conditam pertinet, magis interest. Quare magis ad illud iterum attendendum est[3], ut de fide Floriani tam suspecta iudicemus, et quid denique de illo Libro de antiquitatibus Hispaniae credendum sit, comperiamus.

Iulianum Diaconum principem de Roma condita auctorem producit. Tantum Iohannem citat ut ostendat eius tempore illam opinionem, quam proponit, tanquam peruulgatam et notissimam fuisse, quippe quam omittat monachus probare. Historicos multos (non eos nominat) idem confirmare Florianus addit, immo Iulianum ipsum quasi manifestum iam referre. Non tamen ita peruulgatam et notissimam fuisse illam opinionem siue Iuliani praedicti siue Iohannis nostri aetate constat, cum et Rodericus et Lucas de ea sileant. Rodericus enim tantum dicit : « Romulum qui Romam condidit... » (De Rebus hispaniae lib. I c. 3). Lucas autem : « Roma a Romulo et Remo conditur in monte Palatino... » (in edit. Francisci Schott, t. IV, p. 16, uersu 22).

Inter ea quae a regina Juana de Austria filia imperatoris Caroli V[i] in urbe Valladolid anno MDLV « Cortes » petierunt, « proposicion » est quam Benedictus Cano in suo prologo transcripsit (« Coronica general de España », Madrid MDCCXCI, p. 5) et Nicolaus Antonio iam nouerat (Bibl. hisp. nou., sub u. Florianus). In ea dicitur Florianum de Ocampo XXVIII[um] annum res

1. Vide l. IV. c. XX (in ed. Benedicti Cano c. XXIII) « la ciudad de Sagúnto, la q̄l estos cronistas, muy cotra razon, llama Siguẽça siendo çierto Muruedre » (in ed. Benedicti Cano : « Monvedre o muy cerca della) ». Vide etiam l. III c. XXIV et XXV. Illi « coronistas » de quibus agit supra ii sunt qui Alphonsi X et Alphonsi XI iussu Chronica scripserunt.

2. f. 66 auerso codicis parisini et in Libro de Praec. ciu. num., I, 3.

3. Vide quid de ea re putet Mariana in « Historia de España », I, 2.

hispanas scribere[1]. Ergo anno MDXXVII scribere instituerat, XXVII annos natus, ea aetate qua iam quaestuosa munia cupire, et quibus modis ea lucrentur, quaerere incipiunt. Duodecimo post anno « cronista de su majestad » erat (MDXXXIX), ut ex eadem charta deprehenditur. Quatuor primos libros eius « Cronica general » anno MDXLIII in urbe Zamora publicauit. Semper eo magis id, quod monarchi intererat, eius interfuit scribere, quod nullae ei erant opes. Nam anno MDXLII canonicus ecclesiae zamorensis factus, ab operibus suis historicis inuitus destitit, officio nouo coactus fungi « por no tener otra cosa con que se poder sustentar » ; et ideo ei CCCC « ducados » annuos petierunt illae « cortes », id est illud quod e zamorensi « calongia » ei redibat.

Anno autem MDXXVII Romam cepit et uiolauit dux ille de Bourbon. Quantum et quam simulatum dolorem uersutus Carolus quintus aperte tulerit historici narrarunt[2]. Quanquam enim Pontifex Imperatori non diu suscensuit quod Vrbem diripuisset et satis multos Romanos occidisset eius exercitus, Romani non statim ei ignouerunt; ita ut Boloniae non Romae insigni regio euinci anno MDCXXX potuerit. Adde quod catholicas gentes et ipsos Hispanos horror perstringebat audientes tot caedes et latrocinia quibus Vrbs polluta fuerat[3]. Quod sane Imperatoris rebus exitiosum fieri poterat.

Nonne ille luctus quem populus indicare iussus est, clericum pauperem et prudentem docuit, quomodo Imperatori persona grata fieri posset. Nam si quis considerauerit quid Ocampo de Annio Viterbiensi senserit, et quare tamen illa foede ficta admiserit, non iniuria suspicabitur hunc zamorensem historicum non quadam ingenii dexteritate caruisse[4].

Nonne autem scelus, quod milites hispani cum germanis commiserant, compensari aliquo modo poterat si ab Hispanis ipsis quondam Romam conditam esse inueniretur et probaretur? Quid, si Romam non octauo saeculo ante Iesum Christum, sed multo ante, ab Herculis comitibus et amicis condita declararetur? Si, quemadmodum Annius Viterbiensis Hispaniae amplius uiginti reges adhuc ignotos reddiderat, ita Romam multo esse antiquiorem quam putabant ipsi Romani et heroum tempore iam exstitisse (quod certe Vergilium latuerat), ut illam orbis dominatricem decebat, et uere aeternam Vrbem fieri Hispanus aliquis faceret.

1. « Florian de Ocampo, natural de la Ciudad de Zamora, de noble linage, Cronista de V. M. que es agora de edad de 55 años, movido de su natural inclinacion, ha escrito 28 años en la Crónica de España. » De illo chronographo uide opus recens quod publicauit Alfredus Morel-Fatio « Historiographie de Charles-Quint, Première partie » (Paris, Champion, 1913), p. 79-86.

2. Vide uerbi gratia « Historia general de España » a Modesto Lafuente scriptam, parte III, l. I c. XII ; uide praesertim epistulam quam misit Carolus Regi Portugaliae IV ante nonas augustas MDXXVII in « Memorias para la historia del asalto y saqueo de Roma », quas Antonius Rodríguez Villa publicauit Matriti anno MDCCCLXXV.

3. Vide epistulas Francisci de Salazar, p. 142 operis praedicti.

4. « Bien es verdad que segun las sospechas que muchos platican deste Juan de Viterbo y de su Beroso, yo quisiera tener en la relaçion de tienpos tan antiguos, algun autor de menos ynconuenientes à quien siguiera : mas assi porque no lo hallo como por q̃ sus Cronicas van dirigidas à tan esclarescidos princípes, quanto fueron don Fernando y doña Ysabel nuestros reyes y señores naturales : pornemos aqui todo lo q̃ el cuenta porteneşciente à los hechos de España, porque nada nos falte de quanto los otros escriuieron » (Lib. I, cap. IV). Addit aliud argumentum : « pero jamas hubo libro ni cosa que pueda satisfacer a tanta diversidad de pareceres y voluntades quantas vemos entre los hombres. »

Neque Hispanis ipsis ille ingratus esse debebat, si quis hanc laudem eis tribueret, ut Roma ab illorum patribus condita esset. Nam Vrbs colonia hispana fiebat. Neque iam tantum regum XXIV series hispanorum a Tubal usque ad Gargorem Mellicolam ab Annio reperta immensum temporis spatium implebat, uerum a tertio decimo rege Hispaniae romanum imperium fundatum Hispaniam laude maxima cumulabat et matrem Vrbis primumque caput orbis constituebat. Et ciues qui Hispaniam in posterum maiorem, ut Angli hodie « greater Britannia », animo proponebant, etiam temporibus antiquissimis maiorem fuisse sane gaudebant, ut Germanos Germaniae antiquae iuuat fines ultra modum extendere.

Quantum increuerat historicorum doctrina ex eo tempore quo Rodericus toletanus, ut dicit Iohannes Gerundensis « etsi ab aduentu Herculis in Hispaniam historiam exorsus sit inde tamen tanquam super prunas gradiens » statim ad Gothos ueniebat et ab iis Hispaniae historiam reuera incipere faciebat[1]! Sic et Romae et Hispaniae lucro ac laudi erat quod Atlantis comitibus illis Romulus cederet.

Quis autem illam laudem patriae suae obtulerit, Florianusne an Iohannes, uix dubitari potest. Ecquis Iohannem de Atlante Italo locutum esse putet? Quem nemo ante Annium regem Hispanum fecit nec Gerundensis[2] quidem mente concepit, qui adeo doluit nullum regem a Geryone usque ad Abidem innotuisse : « Quare autem alii reges qui fuerunt inter Abidem et Geryonem non nominentur, ex hoc creditur quia nihil memorabile fecerunt (Paralipomenon Hispaniae lib. I, p. 15, uersu 24 in editione Roberti Beli). Nempe doluit et ipse Florianus « partem eius (historiae uidelicet quam instituerat scribere) quae a Tubale primo Hispaniae accola initium habet, ad usque Carthaginiensium in Hispania dominium, annalium penuria mancam esse : in qua etiamsi ratio temporum constet, quamplurium annorum deest historia, » ut ait in epistula ad Vergaram ab Adolpho Bonilla y San Martín nuper edita (Clarorum Hispaniensum epistolae ineditae in « Revue hispanique », t. VIII); « nec in his plura sunt, addit, quàm quae frater Iohannes Viterbiensis collegit aut certe paucula nescio quae alia, quae nos aliunde traximus ». Vnde traxerit, non declarat. Ex Iuliano Diacono et Iohanne Aegidii traxisse iam nouimus. Vnde uero suum Iulianum Diaconum et illa quae Iohanni Aegidii opera attribuit traxerit, adhuc non liquet : quanquam uereor ne de suo producat id quod illis tribuit.

Dubitabit quidem aliquis Florianum insimulare mendacii[3] si id considerauerit quod in suo « Catálogo de la R. Biblioteca » Menéndez Pidal de illa « Tercera Cronica general » ab eo edita dicit : « La edición de Zamora (quam curauit Ocampo) es verdaderamente esmerada como reproducción de un manuscrito y no era posible que Ocampo hiciese más » (p. 82; uide etiam

1. Vide prologum Iohannis Gerundensis de historiographis Hispaniae in editionibus Roberti Beli et Andreae Schott.

2. MCDLXXXIV.

3. « Ocampo, menos candoroso de lo que parece » (Godoy y Alcántara, op. cit. p. 192).

« Leyenda de las Infantas de Lara », p. 51). Equidem, fateor, fraudis suspicione paene liberari Florianum etiam putauerim, quod notat Flórez (Esp. Sagrada, t. XIV, p. 339 secundae editionis) eum Zamoram non eandem ac Numantiam esse, quamuis Zamorensem, asseruisse: quanquam illud Iohannis Aegidii et multorum aliorum qui a saeculo X° scripserunt opinione confirmare poterat (uide ibidem, p. 338, num. 4, et Caesarei Fernández Duro « Memorias históricas de la Ciudad de Zamora », t. I p. 18). Quod sane fraudulentum uirum non denotat. Sed probus et integer non totus esse potuit. Is enim qui Iulianum illum Diaconum toties citat, quem nemo postea repperit neque antea nouerat; qui Berosum et Manethonem ab Annio Viterbiensi fictos non semel allegat, sed eos secutus paene unum ex quinque libris historiae suae composuit, quaerere licet num testimonium latinorum historicorum (haud indubitabile quidem) de Vrbis initio ideo neglexerit, et eandem ab Hispanis conditam contenderit, quod ueritatem simplicem amauerit.

Quamobrem ab Iohanne Aegidii abiudicandum censeo illum de Antiquitatibus Hispaniae paruum tractatum ab Ocampo ei assignatum, donec comprobetur ab eo scriptum esse.

Iohannis Aegidii quasdam Additiones ad Iuliani Petri chronicon (de quo uide Bibl. hisp. uet. l. VII, c. 8 et 9) Thomam Tamayo de Vargas in prologo ad librum quem pro Flauio Dextro edidit « Novedades antiguas, esto es defensa de la doctrina de Flavio Lucio Dextro », (Madrid, MDCXXIV) allegare notat Nicolaus Antonio (Bibl. hisp. uet. l. IX, n. 26). Qui ex illo Thomae libro adductum esse suspicatur fragmentum quod Ramírez in sua Luitprandi editione allegat (uide p. 49). Ceterum illas Additiones in Conchae urbis historia[1] et in libro « de la descension de nuestra Señora a la Sancta Iglesia de Toledo » (Madrid, MDCXVI) a Francisco Portocarrero scripto laudari addit.

Franciscus autem Portocarrero, homo simplex, quidquid Hieronymo Román de la Higuera libuit, professus est. Solus uidit uel potius uidere aut uidisse se credidit illas Additiones, solus illam epistulam quam a Thoma de Torralba anno MDXCIV cum Chronicis Dextri et Maximi et Luitprandi et Iuliani Pérez missam sibi esse finxit Hieronymus (uide « Vida de Nicolas Antonio » § 38, et « Historia de los Falsos cronicones » p. 218).

Thomae uero Tamayo ipsius epistulam cuius partem iam rettulimus (p. 13), satis lepide Nicolaus Antonio profert; quam nunc exscribere magis extensam non alienum erit : « Las notas que F. Juan Gil de Zamora dicen que hiço al chronico de Juliano, temo no sean ficcion del que metio mas la mano en Juliano de lo que convenia, i en Dextro, Marco Maximo i Luitprando hiço arto daño su solo tacto. La verdad es que... (uide p. 13)... en manos de todos, pero nunca e visto estas notas a Iuliano. Se que el Padre Portocarrero de la

1. Tres Historiae Conchensis urbis in « Indice materiarum » Bibliothecae hispanae nouae enumerantur : una ab Eustachio Muñoz (« Historia de la ciudad de Cuenca »); alia ab Iohanne Paulo Martyr Rizo (« Historia de la muy noble y leal ciudad de Cuenca » MDCXXIX), alia ab Hieronymo Román de la Higuera conscripta (« Historia de la ciudad de Cuenca ») : de hac postrema agi suspicor.

Compañia en el libro que escribio de la descension de S. Ilephonso hace mencion dellas, pero de relacion del Pe Higuera, otro padre Toledano que aunque era mui religioso, era tentado de auctorizar papeles de nouedades. Anse conocido algunos exemplos desto i en la Sa Iglesia de Toledo esta obseruada por orden del cabildo en un libro una invencion de unas cartas i otras cosas que despues de auer hecho mucho ruido, vinieron a parar en lo que al principio auian sido[1]. Temo esto no sea deste jaez i para cosa tan inportante dañaria mucho. No obstante io e escrito a Zamora para que me saquen todo lo que en esto vbiere tocante a Arjona y a Iaen. De todo dare quenta a Va Ema en teniendo aviso, deseoso de acertar a servir en algo... Madrid, i agosto 18 de 659[2]. » Ergo « minime in zamorensibus Aegidii lucubrationum uoluminibus reperientur » ut ait recte (et facete quidem) idem Nicolaus Antonio, illae Additiones nostri Iohannis ad Chronicon ab Hieronymo confectum.

1. Vide « Documents sur le faussaire Higuera » in « Bull. Hisp. », t. VIII (1906), p. 87.

2. Mirum est sane illum Dextri defensorem et Luitprandi expositorem in eorumdem inuentorem, tanquam mendacem hominem, inuehi quarto anno post quam Luitprandi cum notis publicauit. Verum haec « Tamaii verba consonant iis, quae in notis ad Luitprandi Cronicon de eodem Higuera, eiusque ac levitate praeposteroque de historia judicio, consignata manere voluit. » (Bibl. hisp. uet., IX, n. 26).

Appendix

Loci in quibus Florianus de Campo citat Johannem Aegidii Zamorensem.

(Vide p. 66-70)

A. 1. — « Enesta tornada de Atlante lo siguierõ muchos Españoles, conlos quales aportò primeramente en vna ysla puesta junto con Ytalia enlos fines vltimos della que agora se nonbra Syçilia, llamada entonçes Trinacria, y alli dexò parte d'aquellos Españoles sobredichos, los quales poblaron vn grande espaçio dela ysla/y con los otros restantes llegò en Ytalia : y morò enella quanto tienpo biuio paçificamente, gouernando los señorios que por alla tenia mucho bien/y señalando prouinçias y comarcas nueuas de aquella tierra donde morassen algunos estrangeros delos que por acà sele llegaron entre los quales es çierto que señalò tanbien à los Españoles que le sòbraron de Syçilia vn espaçio razonable de tierra [1] dentro de vna prouincia llamada entonçes Saturnia/sobre las riberas del rio Tibre pocas leguas antes que se meta enla mar, el q̃l rio deziã Albula por aq̃llos tiẽpos, y alli pusieron los Españoles sobredichos su morada : y poco à poco fundarõ vna poblaçion que es oy dia la muy nonbrada çiudad de Roma/principal en toda la tierra de ytalia/y tan biẽ afortunada que despues vino à señorear lo mas y mejor del mundo, agora es cabeça de la religiõ cristiana. Desto paresçe muy claro ser engaño manifiesto lo que comũmente cuentan los historiadores latinos dela fundaçion desta çiudad atribuyendola a vn ytaliano llamado Rómulo/que dizen auer sido el primero que la çimentò muchos años despues destos tiempos que agora escreuimos. porq̃ segun Dionisio alicarnasio cõfiessa : y Plutarco recolige delas historias de Antioco syracusano, grandes años antes q̃ Romulo naçiesse fue Roma poblada/y era lugar señalado enlos dias de vn rey de Ytalia llamado Morgéte : el q̃l uerdaderamẽte fue hijo deste Atlante ytalo/dado q̃ muchos autores no le tẽgan sino por cõpañero y huesped suyo/pero los vnos y los otros cõsientẽ auer le suçedido casi en todo el estado de Ytalia : por cuya causa los Españoles que passarõ alla con Atlante, despues que Morgete les q̃do por señor, fueron llamados delas otras gentes Ytalianas/los Españoles Morgetes. Lo mesmo dize tanbien, entre los Cronistas de nuestra Castilla : Juan gil de Zamora, en vn tratado pequeño, que al fin de sus dias [2] cõpuso, de las antiguedades de España/enel qual escriuio cosas medianamente señaladas, si tuuiera tanta diligençia quanta fuera menester para dar razon delo que hablaua/y aun esto que de la fundaçiõ de Roma, hecha por los Españoles, escriuio/ni lo prueua ni señala en q̃ autores lo hallase [3]/mas pudo lo tomar de Juliano diacono varõ Griego de naçion, muy considerado y muy sabio en todo lo que de España escriue : el q̃l lo certifica y tiene por aueriguado. Otro historiador llamado Epigenes/lo confirma tanbien en vn libro q̃ hizo contra los Ytalianos/donde les declara muy espeçificadamente la mayor parte de Ytalia auer sido poblada de gentes estrañas. » (Los quatro libros primeros de la Cronica general de

1. C : « Señaló provincias y comarcas nuevas en aquella tierra para muchos extrangeros que por acá se llegaron : algunos destos fueron unos Españoles en razonable número, que muchas de nuestras Coronicas certifican y declaran haber ocupado por allí largo término de tierra. »

2. « Al fin de sus dias » omissum est in C.

3. Addit C : « cuéntalo sencillamente pasando por ello como por cosa que los discretos bien leidos tenian recebida y averiguada. »

España que recopila el maestro Florian do Canpo... En Çamora. Año M. D. x l iii. (Lib. I, cap. XIX, fo. [x]xxviii. In editione autem quam curauit Cano, cap. XX.)

« ... fue quando se leuantaron en Ytalia dos mãçebos hermanos, el uno llamado Romulo, y el otro Remo... los quales ...engrandescieron la çiudad de Roma, que de primero tenian ya fundada los españoles, segun lo que dexamos apuntado en los diez y nueue capitulos del primer libro, conforme con la relaçiõ d' muchos historiadores antiguos, puesto que los mas delos autores latinos affirmen y digan este Rómulo ser el primer poblador de la çiudad sobredicha desde los primeros çimientos. pero mucho mas credito tiene la fundaçion de los Españoles por otras mayores razones, delas quales algunas se pusieron en aquel capitulo del primer libro, que seran suficientes, à mi ver, para q̄ quien quiera sienta lo verdadero dello. » (Lib. II, cap. X.)

2. — « Procuraron tanbien estos griegos de mostrar àlos españoles sus comarcanos çierta manera de sacrifiçios y plegarias àlos ydolos que cõsigo trayan ellos : conformes àla costunbre d' Greçia, con mas çerimonias y mas nueuas que nunca los españoles auiã visto. particularmente los de la diosa Diána, con quien ellos tenian mucha deuoçion à la qual hizieron un tenplo dentro del mesmo castillo, muy venerable y bien adornado/ dõde, largos tiẽpos despues exerçitarõ aq̄lla vanidad con gran acatamiento desta diosa. tanto, que despues del tenplo que estaua en Dénia : el q̄l auian hecho primero los griegos de Zaçinto à la mesma Diana, segun declaramos en los veynte y seys capitulos del primer libro, no tuuieron lugar los españoles antiguos donde mas gente se allegasse para tales sacrifiçios : ni con mas deuoçion, que enel templo que los de Rodas alli hizieron. Tãbien edificarõ vn oratorio dentro del mesmo castillo para reuerençia y honor del dios Hercoles, con quien assimesmo trayã superstiçiones y plegarias, en que le sacrificauan à ciertos dias y fiestas del año con la solenidad y ponpa q̄ conuenia. Todas sus costubres restantes, assi de religion como de tratos y manera de biuir, erã mucho semejantes à las mesmas delos otros griegos antiguos moradores en España/sino fue quanto à los sacrificios de aquel dios hercoles sobredicho : aquien generalmente todas las otras naçiones de gentiles reuerençiauan en sus çerimonias con alabanças y bendiçiones deuotas que le hazian, y cõ otras muchas humildades encomendandose à el, y estos de Ródas todo lo hazian al cõtrario. porque quanto hablauan conla tal çerimonia, eran maldiçiones, y denuestos : y palabras injuriosas, mezcladas con risas y burlas, que le dezian, no porque tuuiessen à burla la diuinidad deste su dios, sino porque creyan ser, en tal caso, muy alta solenidad : y d' que mas aquel demonio se contentaua. y ami parecer, acertauã enello mejor que nadie, pues le tratauan como meresçia. Destos sacrifiçios y costumbres, que mucho tienpo duraron en aquellas partes de España, haze mençion Juliano diacono, y Juan Gil de Zamora, enel tratado que recopilo de sus antiguedades españolas en le[n]gua portuguesa, mucho conforme ala que ponen las historias griegas enlas usanças de Ródas ». (Lib. II, cap. IIII.)

3. — « Muchas otras hazañas d'ste priçipe (Alexandro) se platicauã aq̄llos dias ẽlas poblaçiões d'España q̄ cayã sobre la ribera d'nr̃o mar mediterraneo sabidas y relatadas por los nauegãtes y negoçiadores q̄ veniã acà. las q̄les dierõ ocasiõ à q̄ grã ꝑte d'sus moradores deseasẽ tener cõel alguas inteligẽçias. ò cõfederaçio. y como las nueuas creçiesẽ cada dia cõ sobradas alabãças : y jũto cõellas la relaçiõ de su buena gr̃a (gracia) y magnifiçẽcia, d'terminarõ ẽbiarle sus ẽbaxadas. y luego el año adelãte q̄ fue. cccxxiiii. antes q̄ nr̃o señor jesuxp̄o naçiesse, bastesçierõ nauios hõdos de carga cõ vituallas neçessarias à la jornada. señalãdo ꝑsonas cõueniẽtes à tal mẽsaje, las q̄les metidas ẽ su nauegaçiõ, toparõ enla mar fustas delos Galos estrãgeros : q̄, como ya muchas vezes tengo dicho, morauan entonçes la tierra donde biuen agora los Frãçeses/y lleuauã al mesmo rey Alexandro, por parte de su naçion, otra tal enbaxada como la delos españoles. y assi, todos juntos en cõpañia, caminarõ hasta d'senbarcar enla costa de Suria. d'sde la cual passaron àla çiudad de Babilónia, donde hallaron enbaxadores de Siçilia, y de Cerdeña, y d'muchos pueblos ytalianos y africanos, en q̄ tanbien auia mensajeros dela gran

Cartágo, que pocos dias antes eran alli venidos: y todos ellos estauan esperando la buelta del sobredicho rey Alexãdro, q̄ ya tornaua desde las Indias muy lleno d' triunfos y vitorias. pero como las jornadas q̄ traya fuessen peq̄ñas y vagarosas, à causa delos exerçitos gruessos y fardaje grãde de diuersas gentes q̄ le seguian : y tãbien los mensajeros huuiessen gastado tãto tiẽpo en esperarle, q̄ ya llegauã los prinçipios del otro año / donde, segun q̄ les era mandado conuenia boluer à sus casas, los españoles partieron de Babilónia ꝑa lo tomar enel camino. y alli, quãdo llegaron le hablaron largo : representandole, con grandes encareçimientos, el plazer q̄ su naçion española reçebia cõtinamente por la buena relaçion q̄ tenia de su prosperidad. y q̄, como de rey tã venturoso, desseauã su conoçimiẽto, graçia, y amistad, para q̄ siẽdo le menester gẽtes, ò bastimiẽtos, ò q̄lesquier aparejos delos q̄ se criauan en España, los pidiesse: pues era çierto q̄ selos darian con entera voluntad. El rey Alexãdro respõdio sabrosa y amigablemẽte / y despues de muy informado enel estado de España : y enla manera y estilo q̄ tenian las prouinçias della : y enel sitio dela tierra : y en todo lo demas q̄ por acà passaua, les tornò muchas graçias por el afiçiõ q̄le mostrauã, ofreçiẽdoles tãbiẽ el todo lo q̄ pudiese hazer en su fauor : y prometiẽdoles q̄ luego como fuese desocupado de çiertos negoçios inportãtes a sus conquistas enla tierra de leuãte, q̄ le faltauã de concluyr, trabajaria de venir en España / donde proueeria todo lo q̄ les tocase, como cosa de verdaderos amigos y cõfederados, aq̄en holgaria de tener alegres y contentos. Y assi conesto los mensajeros se partierõ del muy satisfechos, llenos de grãdes dadiuas y de preseas ricas, cõformes à la liberalidad y grãdeza del q̄ las dio. Llegados en España, çertificarõ la venida deste rey en breue tienpo. Y asi pẽsauã todos q̄ fuera çierto, si pocos dias adelãte no se desbaratára cõ su muerte: la q̄l suçedio siẽdo ya venido à Babilonia, dẽtro d'l año q̄ se cõtarõ. cccxxii. antes dela natiuidad de nuestro señor Jesu xp̄o. que concurrio justamente conel año primero de la çiento y quatorze olinpiada delos griegos, Como lo pone Arriano cronista muy exçelẽte d'los hechos deste rey... Deste mensaje, hecho al rey[1] Alexandro, allende los autores latinos q̄ del hablan, pone tanbien ralaçion (sic) Paulo orosio. cuyas cronicas en algũos volumenes inpresos dizẽ el vno d'los mẽsajeros auerse llamado Maurino. pero sin duda và dañada la letra, porq̄ ni sus libros antiguos escritos de mano, ni los inp̄sos biẽ emẽdados tienẽ tal nõbre. todo lo d'mas q̄ dexamos aqui dicho pone Juliano diacono, y Juã gil d'Zamora, enel tratado delas antiguedades d'España q̄ cõpuso en lẽgua portoguesa. solo discrepã, en q̄ Paulo Orosio haze la tal enbaxada dentro de Babilónia, y los otros dos algo primero que elrey alli viniese ». (Lib. III, cap. XXXI; in editione autem Benedicti Cano, cap. XXXII.)

𝔅. « Recolígese de muchas otras historias que tratan estos aconteçimientos, auer podido huyr y saluar se parte delos saguntinos vençidos, aunque pocos, entretanto que los vençedores robauan las riq̄zas y joyas que sobraron del ençendimiento ya declarado : las quales toda via se dize que fuerõ en creçida multitud y mucho preçiosas / puesto que dañadas y corronpidas adredemente por los otros sus dueños antes que muriessen. Y los tales saguntinos assi librados escriue Juan gil de Zamora en vna relaçion hecha para don Pedro obispo de Siguença, que se metieron por lo mas dentro de España hasta llegar conlas mugeres y niños, que tanbien escaparon, enla tierra delos españoles Aréuacos / cuyos aledaños y comarcas declaramos enel principio deste quarto libro : y aqui, todos ellos, fundaron la çiudad de Siguença que los antiguos llamarõ Sagúnçia lata / por memoria, segũ dize, de Sagunto la destruyda, dõde sus prinçipiadores fueron naturales. Yo, ꝑa dezir verdad, no veo memoria desto por los otros cronistas latinos y griegos que hablã en la perdiçion de Muruedre. y aun pareçe, que si Juan gil de Zamora no hallase mas fundamentos para su dicho dela semejança d'l nonbre que tiene Siguençia ò Sagunçia con Sagunto, serian algo flacos. porque tanbien duran oy dia

1. C : « ...hecho por los Espanoles al gran Rey... »

diuersas poblaçiones en España nonbradas Sagunçias ò Siguençàs: los quales no fue possible çimētar aquellos pocos saguntinos escapados dela tal perdiçion. » (Lib. IV, cap. XXXI; in ed. Benedicti Cano, cap. XXXV.)

C. « ... solamēte podemos conjeturar delo q̄ señalan nr̄os historiadores, q̄ gastados algunos dias en aqllo. siendo ya çerca del año q̄ se cōtarō . cclxxix. antes del aduenimiento de nuestro señor dios q̄ fue justamente quinze años despues dela discordia q los galos tuuieron entre si çerca delas aguas del ryo Lima. quando se diuidiero los vnos delos otros. vna conpañia dellos. nonbrada los Astyros. no pudieron reposar conlos griegos/puesto q̄ ya tuuiessen con ellos trauado parentesco: como lo tenian tanbien los otros linajes de q'en primero hablamos. y tomādo sus alhajas, armas, ganados. hijos y mugeres cō alguna cātidad de griegos baldios q̄ se les llegauā, mouieron hàzia las partes oriētales d'la tierra, y atrauessados los mōtes q̄ se desgajā dela serrania dōde son agora los puertos del Rabanal: y la cubre d'Sospaçio (cuyas lomeras y çerros vienē à parar en las aguas d'Duero... començaron à represar enlas faldas d'sta montaña. recogiendo como mejor podiā algunas personas siluestres que hallauan derramados en cueuas y choças por la tierra cōlos quales fudaron moradas en sitios que pudiessen biuir. pero mas, priçipalmente, hizierō vna poblaçion, q̄ fue cabeça dellos y delas otras q̄ por tiēpo se multiplicaron entre la naçiō destos Astures, la qual llamaron Astirica/cuyo vocablo vino d'spues à se mudar algū poco, y la llamarō Astàrica [1], y agora muy mas corrutamēte la nōbramos Astórga. segū q̄ tābiē corrōpieron el apellido delos mesmos astiros sus fundadores, y d'toda quāta gēte dellos proçedio, q̄ poco d'spues los llamarō Astúres, y agora los dezimos Asturiāos/puesto q̄ los asturiāos d' nr̄o siglo no tienen tanta tierra como posseyeron los Astúres antiguos/ cuyas gētes huuo tiēpo q̄ se multiplicarō y cundierō cōtra la parte de medio dia hasta la ribera del ryo Duero, donde confinauan con vn pedaço de las gentes lusitanas que se dezian Uetónes: y contra la parte de setentrion ocuparō hasta la marina del oçeano setentrional, poblando las fraguras y asperezas de montañas entre medias que se hazen por aquella tierra, mas difiçiles y terribles q̄ ningunas otras de España. Solos estos astures setentrionales son agora los que conseruan y retienen el nonbre de asturianos: que, segun dizen algunos cosmografos modernos, fueron confines à çiertos españoles antiguos llamados Silóros, de quien adelante trataremos algunos acontesçimientos notables enel terçero capitulo d'l quarto libro. Y pues hallamos esta relaçion sobredicha, tan buena y tan concertada, del principio delos asturianos, enlas cronicas d'los dos julianos Pomerio y Diacono, cō casi lo mesmo que dellos escriue Juan gil de Zamora, claro paresçe ser cosa fingida lo de Silio ytalico: quando dize que proçedieron de Astur varon troyano que vino en España, criado y paje de las armas de Ménon el hijo dela mañana, que por otro nonbre llamamos el Alua. » (Lib. III, cap. XXXIX; in edit. Benedicti Cano, cap. XL.)

D. « ... y Estrabon autor antiguo muy exçelente pone la tal çiudad (Ulixipolis) y su nonbre por señal y muestra manifiesta dela venida de aquel Ulixes griego en España, y la llama çiudad Ulixéa. lo qual tanbien Solino çertifica en sus libros cō otros muchos que d'lla hablā. y juntamēte Juliano diacono, y Juā gil de Zamora, cō mas la memoria de las historias españolas q̄ tanbien lo certifican. » (Lib. I, cap. XXXVIII; in ed. Benedicti Cano, cap. XLIII.)

1. C: « Asturica ».

Index

Auctorum, Operum, Codicum, Bibliothecarum et Possessorum.

Index

Litterarum quibus significantur codices.

A. — Vide : Matritensis Bibliotheca Academiae historicae.

E.
Ea. — Vide : Escorialensis Bibliotheca.

Ma.
Mb.
Mc.
Md
Me
Mf.
[illegible] — Vide : Matritensis Bibliotheca publica seu nationalis.

MPa.
MPb
MPc.
MPd
MPe.
MPf.
MPg
++. — Vide : Matritensis Bibliotheca regia.

P. — Vide : Parisina Bibliotheca.

Index Capitulorum

Bordeaux. — Imprimeries Gounouilhou, rue Guiraude, 9-11

BORDEAUX. — IMPRIMERIES GOUNOUILHOU.